

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Turbo, sive moleste et frustra per cuncta divagans
ingenium**

Andreä, Johann Valentin

Altorfii, 1620

[urn:nbn:de:bsz:31-138638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-138638)



72 A 53 77 R

T V R B O,

S I V E

MOLESTE ET FRVSTRA PER
CVNCTA DIVAGANS
INGENIVM.

*In incluta Norimbergensium Academia,
qua est Altorff;*

Panegyri x L I V, in Theatrum
PRODUCTUM,

*Sub auspicio, Magnif. Nobiliss. & Am-
plissimorum virorum*

Dn. Leonhardi Grundherrn.	} VII virorum.
Dn. Wolfgangi Harsdörferi ab Artoltshoven.	
Dn. Christophori Füreri ab Heimendorf.	} Senatorum
Dn. Georg - Christophori Volckameri.	

*Academiae Curatorum & Scholarcha-
rum meritisimorum.*

ALTORFII,

*& Typographia Balthasaris Scherffij,
Academiae Typographi.*

ANNO

1699 c. xx.



ARGUMENTVM
COMOEDIÆ.

TURBO inquieto passim agitatus usq; & usq;
turbine,

Vllâ nec in re constans magè, suâ quàm in in-
constantia.

Rhetorica tractat, studia post Logica, dein
Mathefeos

Bonâ haud iuvante fortunâ adgreditur: ar-
tes & has

Omittit, ac Historica volvit atq; Politica
Cumq; illum earum tadium cepisset & fasti-
dium,

Omnès in oras planè inusitato fertur impetu.

Nec mora: dat operam linguis, mores discit
exteros pugil,

Vt & choragus, & amator fit, lustrisq; liberis
studet:

Et hinc amorem sibi faventem expertus est, &
esserum.

Rursumq; ad artes curiosas animum adjun-
gens, quicquid est

A a

Sen

*Seu temporis reliquias, bona seu mentis ad
auri, omnium
Vnum facit dispendium: hinc fugit, animum
despondet, &
Suam dolet vitam, à Sapientia ad quietem
eandem ducitur.*



PER.

PERSONÆ COMOEDIÆ.

Opinio.	
Padotriba.	
Turbo.	
Curio.	} Scholares.
Lentulus.	
2. Scholastici.	
Harlequin.	
Psittacus.	Rhetor.
Stellinus.	Mathematicus.
Pilfus.	Politicus.
Vanthus.	Historicus.
Horatius.	Peregrinator.
Gerson.	Gallus.
Malliet.	Gersonis famulus.
Pollux.	Magister ceremoniarum.
Panurgus.	Magister linguarum.
Geryon.	Pugil.
Lapitha.	} Discipuli Pugil.
Blessus.	
Labella.	Virgo.
Rubella.	Ancilla Virginis.
3. Musici.	
Arminius.	Amator.
Brandon.	Arminii Amicus.
2. Famuli.	
Beger.	Chymicus.

A 3

Præ-

Prudentius } *Duo Cives.*
Fabius. }
Haspellus. } *Artifex.*
Sapientia.
Veritas.
Tranquillitas.
Acquiescentia.
Mediocritas.
Judicium.
Eruditio.
Integritas.
Simplicitas.
Tolerantia.
Solitudo.
Contemplatio.
Mors.
Fama.
Dives.
Sciens.
Honoratus.
Felix.

Opinio

Opinio prima egreditur, Regiè induta,
sed variegata, cum libro aperto, co-
gitabunda, quæ cum muta semel
aut bis obambulavit, regreditur;
sequitur,

Veritas.



Hanc, quam vidistis egredien-
tem, deambulantem, ingredientem,
quam esse quæso creditis spectatores?
Reginam, quia coronata, potentem,
quia cum sceptro, Eruditam, quia cum libro, fe-
licem quia ornatu abundat; prudentem, quia co-
gitabunda; undiq; tandem politam, quia inces-
sum est metita? Vah erratis! *Opinio est, Opinio.*
Illa, quæ superiorum opera dirigit, inferiorum
labores incrustat: Sciorum Sapientiam auget,
Ignorantium stuporem declinat; Divitum mise-
rias tegit: Pauperum indigentiam acuit: Artifi-
cum ingenia fovet: Rusticorum duritiam conti-
nuat: Sophistarum lites conservat: Simplicium
admirationem promovet: Conjugum cruces ex-
tenuat: Cælibum errores excusat: Curiosorum
arcana involvit: Supinorum neglectum appro-
bat: Quid opus est verbis? Nemo est è vobis, ne-
mo in tanta ingeniorum varietate, cui illa sese
non exactè accommodet, cui non illa subrepat,
quem non vincat, cui non sua commendet.
Huic genus, huic honores, huic potentiam, huic

A 4

Artes,

Artes, huic labores, huic linguas, huic Amores,
huic vinum, huic vestes, huic otium, huic aliud
quid insinuat, & rebus minutissimis superbire fa-
cit. Illa est, quæ pupas vobis distribuit, quibus lu-
ditis, auriculas imponit, quibus triumphatis, no-
las assuit, quibus personatis, magni juxta ac mini-
mi viri, fæminæ, juvenes, virgines, pueri, puellæ.
Sed quid ego? nisi ut odiosa vobis sim, ut quod
soleo, præmium accipiam. sed quiescite tamen.
Jam ego vobis producam *Opinionis bellum Ne-
potulum Turbonem*, quem è vobis multi agno-
scent, multi ridebunt, multi miserabuntur, pauci
ita iruebuntur, ut quod in eo vitiosum emen-
dent, & ad solidam mentis quietem sese compo-
nant. Lepida actio erit, spectatores: vos
animis & silentio obsecro
adeste.

ACTVS



ACTVS PRIMI

SCENA I.

*Padotriba, Turbo, Curio, Lentulus,
2. Scholastici, Harlequin.*

P. Te meæ, felix semper pecus ite capellæ. Virgilius in Eclogis, per Metaphoram huc allatum. **T.** Adsumus, Domine Magister. **P.** Hunc diem vobis feriatum faciam, id est, Parnassicam respirationem. Tu verò scin' pro scis ne, quid sit Parnassus? **T.** Parnassum ajunt montem esse præcellsum, cujus fastigium si quis attingat, victurum esse post cum Musis & Gratiis omnib' beatissimè. **P.** Optimè, sed adhone, id constare magno labore. **T.** Non subterfugio, dum id assequar, quo semper allicior, Felicitatis & Tranquillitatis fastigium. **P.** Adnitere porrò, jam sub meo conductu Arcem illam haud ita procul prospicis. **T.** Quì id sciam? **P.** Facilimè. Nam quod benè mihi, benè tibi, benè sit scholastico Ordini (Lipsius de conviviis Veterum) decennium jam te audientè Præcepto-

A S rem

rem *διαδικαιμήχανον*, abundare oportet E-
rotematis Dialecticis, Physicis, ac Ethicis,
quibus ceu gradibus eò ascendisti, ut
posthàc infelix esse non possis. Nam &
τρόπον ἄπιστης jam habes, & syllogismos
in omni figura nectis, & cornutis (dilemma
vocant) fortiter pugnas, tum ille hominum
miraculum *ἄπιστημονικός*, per εἶ ἐστὶ,
ἢ ἐστὶ, ὅτι ἐστὶ, & *διότι* tibi exactè cognitus
est, Scis enim demonstrationem ipsius
Eclipseos & ipsorum rectorum in triangulo,
& majoritatem ipsius totius & definitionem
ipsius hominis, & cognitionem ipsorum
infinitorū terminorum,
ut *καὶ τὰ συμπλοκίων λεγόμενα*, πρὸς ἐν καὶ ἀφ'
ἐνός, κατὰ τὸ πρῶτον ἢ ὑσπερον καὶ ἀλλήλων,
καὶ ἐξοχίων ἐνέργειαι, τὸ δὲ ἢ πῆξις, ἐστία, πᾶσι,
πρὸ τῶν πρὸς ἡ, ἐστιαδης, ἀπλῶς ὅλως ὅλον, ἀ-
βιον καὶ ἐν, πρὸς ἐν, καὶ ἐπιτέλειαι, τῆς κινήσε-
ως τέλ^θ, ἠγόμενον, ἐπόμενον ἔπειτα, κατὰ μέγ^θ,
ἐπιπρῆσι πρὸ τῶν, καὶ ὅλα συγγενή, λαμβανόμενον
ἀδιαίρετον, ἄτομα, εἶδη, μεταβάσεις εἰς ἄλλο
γένος, κατὰ πάντες, ἀήλις ροφον, καθέκαστι alio-
rumq; admirandorum, quibus non ranti-
um Philosophiæ portas omnes prom-
ptè aperis, aut à Cedro, ad Hysopum usq;
egregiè differis, sed & inter mille
nos

nos potius admirabilis videris, quam in-
telligibilis. Itaq; ne dubites, vix tribus
aut quatuor passibus à voto tuo abes;
scilicet, ut adjungas adhuc nodosas ali-
quas gordionias, multum vexatas, tri-
stes ac spinosas quæstiones, quibus ho-
mines ita constringuntur, ut exitum
non reperiant, te verò è sublimi Sapien-
tiæ arce despicientem suspiciant. T. Ge-
stio equidem & promptitudinem meam
offero. P. Sed interim horum fortunas
negligimus, te, qui καὶ ἐξ ὧν discipulus
es, horum etiam curâ tangi oportet. In-
cipe parve puer, cui non risere Parentes,
& profer aliquid è literariò nostro Re-
gno. C. Magis magnos clericos, non sunt
magis magnos Sapientes, P. Unde id ha-
bes? C. In libello meo. P. Hæc sententia
viciosa est, quoad materiam, & quoad
formam, quatenus enim Grammaticam
attingit, nulla est constructio, quatenus
sensum, est Sarcasticus, sed tu fac syllo-
gismum. T. Omnis sententia, quæ est vi-
tiosa respectu ipsius materiæ, & respec-
tu ipsius formæ, est maledicta. Curio-
nis sententia talis est, Ergò. P. Curio-
proba Minorem. C. omnis sententia,
quæ

quæ est contra clericos, est vitiosa quoad
ad Materiam & quoad formam: Hęc ta-
lis est. Ergo. P. Sequens proba Minorem.
L. Omnis sententia quæ negat, clericos
esse sapientes, est contra clericos, Hęc
talis est. Ergo. P. Minor sequens D. Qui
Clericum dicit non esse Sapientem, oc-
cidatur: Qui occidendus est, est Latio:
Qui Latio est, hominem occidit: Qui
hominem occidit, est Cain. Ergo, qui
clericum dicit esse non sapientem, est
Cain. P. Sequens quid habes? D. Qui Ca-
in est, est Adami filius: sed qui Clericum
spernit, Cain est, Ergo est Adami filius.
P. Ecquid tu habes? B. Nihil. P. Quomo-
do intelligis clericum? B. Ein Schulfur.
P. Quid significat liquida? B. ein Schmelz-
stein. P. Quid duplex? B. ein doppeltstimmer/
zweistimmer. P. Recita Alphabetum. B. A.
b. c. d. e. &c. P. Turbo, recita aliquot
versus ex Virgilio. T.

*Quisq; suos patimur manes, exinde per amplū
Mittimur Elysium, & pauci lata arva tenem?
Donec longa dies perfectō temporis orbe
Concretam exemit labem, purumq; relinquit
Ætherium sensum, atq; aurai simplicis ignem.*
P. Quo-

P. Quomodo interpretaris? **T.** Judicio
intelligi Scholam. **P.** Ha ha, he, interje-
ctio ridentis, possesne adplicare? **T.**
Tentabo. Quisquis patimur manes, id
est, singuli vapulamur, aut virgis caedi-
mur: Exinde id est, post decennium.
Mittimur per amplum Elysiū id est, ad
celeberrimam aliquam & liberrimam,
Academiam; Et pauci læta arva tene-
mus, id est, non omnes Sapientiam di-
scimus. Donec longa dies id est, usq;
dum in senectute, & absoluto errorum
nostrorum cursu. Concretam exem-
labem id est, contractus scholasticismus
nos derelinquat, & plenè sapere, ac in-
genio ad Nobiliora uti sinat. **P.** O Turbo,
Turbo, est aliquis Dæmon, qui te à Scho-
la avocat, eum fuge, tāquam qui à virtu-
tis semita ad voluptuariam abducat, **T.**
Scilicet à Grammatica ad Politicam. **P.**
Væ tibi Turbo, Nam jam periisti juxta
illud *Studierstu wol/so wirstu braten Hünce
voll: Studierstu übel/so issestu mit den Säwe
en auß dem Käbel.* Sed tu Curio recita
aliquid. **C.**

*Luctus & ultrices possuere cubilia curæ,
Pallentesq; habitant morbi, tristesq; senectus.*

Et

*Et metus & male suada fames, & turpis egestas,
Terribiles visu forma, lethumq; laborq;
Tum consanguineus lethi sopor, & mala mentis
Gaudia,*

P. Ubi hæc sunt? C. in Schola. P. Vapula furcifer, itane contra me conspirastis. C. Veniam dabis Domine, Turbo ita docuit. P. Jupiter Stator, & tu glaucis oculis Minerva. Turbo meus, exactus lectionum mearum auditor, furit, furit inquam, nam quis unquam sanus bonis literis maledixit. Videto fili mi, fili mi videto, indignum facinus tot bona verba, quæ in te feminavi, interire. T. Præceptor, neq; in tuis laboribus quicquam desidero, nec in ipsis literis, sed in meis profectibus, ut qui post decennium nihil eorum, quæ hoc pulcherrimum universum complectitur, scio, tantum vocabulis & præceptis ad labia usq; refertus sum, atq; distentus, ut quoties os mihi patet, magnam farraginem ejiciam, nec nisi syllogismis, distinctionibus, maximis, & monstrosis voculis inter elegantes & eruditos perstrepem. P. Vah simplex caput, nondû intelligis, quàm eo sis nomine admirabilis? Illa crassa & concreta

ereta capita non capiunt tam abstractū,
& Logicū de rebus iudicium, ut exempli
gratiā. T. Non opus est. p. Ergo neq; de-
lectaris ultra meis contemplationibus?
T. Omnino, sed vellem tibi parceres, hic
enim dies quietis est, non laboris. p. Aliis
quies curæ esto: qui literarum elegan-
tius capitur, in mediis laboribus sentit
dulcedinem. T. Equidem credo, nisi
enim id foret, nunquam posses in tantis
subtilitatibus Bocardicis, & Darapticis
ad Senium usq; perseverare. p. Alienatæ
mentis es: abeamus, ne quid reliqui ex
his sermonibus concipiant. Ite, claudite
nunc rivos pueri sat prata biberunt.

SCENA II.

Lentulus, Psittacus.

L. Indignum facinus, hanc esse decen-
nalis laboris gratiam, ut obulo ven-
di velit, quæcunq; didicerit. Atqui non
est inter nos, artium terminis & Logicâ
illâ linguâ disertior. O mihi id contin-
gat, nolim cum Indicis Thesauris com-
mutatū. Quid enim Deum immortalē,
quàm sublimē eos audire disputantes?
Ego quidem fateor, haud intelligo. Sed
puro

puto Angelos ita loqui, nihil enim eorum est, quæ videre aut tangere possumus, sed nescio quid sublime, certe nescio. O Turbo turbate, quantum nobis das turbe! & turbas senem nostrum Magistrum, jam de tuis profectibus gaudentem. ps. Hic Turbonem nominat, mirum ni linguæ Dialectico - Physico - Metaphysico - Ethicæ nunciium remisit. L. Et qui poteras Nobilitatem tuam reddere Nobiliorem, eam nunc reddis ingratitudine infamem. ps. Non dubito, quin id fecerit. L. Illud est, quod Præceptor nimium te honoravit, nimium, amavit, indulxit. ps. Adeundus mihi hic Homo est; heus Scholastice. L. Quis ille importunus? ps. Heus Studiose. L. Domine. ps. Si vales, benè est. L. Ego valeo. ps. Ornatis. & humanissimus Dominus Præceptor an valet? L. Haut ita fatis. ps. Animo meo malè est propter illum, decumbit? L. Jam fortassis: ante horam optimè habuerat. p. Explica mihi. L. Nobilissimus noster Dominus Turbo, nescio à quo seductus, literis *αὐτῶν* valedixit, & se neq; scire quicquam, neque Præceptori multum debere disertè profectur.

fitetur. ps. Hic homo condemnandus
foret ad campos Gurgistidonios, ubi
Bombomachides, Cluninstaridyfarchi-
des est Imperator summus, Neptuni Ne-
pos. L. Nescio quid dicat dominatio ve-
stra. ps. Sed unde contraxit hanc litera-
rum nauseam? L. Incertum est, dies jam
quartus præteriit, cum ille frequenter,
apud se murmurat. Hei mihi, qui nihil
scio! heu quam ineptus fui inter illos!
heu barbaram linguam! Hæcne illa,
sublimis Arx? Vah decem annos! O pu-
eri quam stulti sumus! phui, quam me il-
li irriserunt! & talia infinita, donec tan-
dem in faciem Præceptoris mala dicere
ausus est. ps. Quid tandem protulit? L.
Erubesco, ajebat parum interesse, sive
quis calceos veteres consuat, sive his spi-
ritus studiis vitam omnem atterat, utro-
biq; laborem esse; Usus ad humanam
vitam perexiguus, postea commotior
& in Præceptorem ipsum (heu facinus!)
irritatus. Illane est Hominis supra quam
humani sedes! qua dum terrena omnia
sint, aut dijudicanda exactè: aut nostris
usibus accommodanda dextrè, Philoso-
phus noster, tanquam ipsam Minervam

B

partu-

parturiens, anxie sedeat, proferatq; Datisi, Bocardo, Ferison. Mox ad uni^o obuli dubium fulgorem anhelans accurrat, & mille titulis, mille versiculis, mille lachrymis é Topicarum propositionum, omni acie eum emendicet. ps. Quid interea Dominus Magister? L. flevit, nam quid ageret? Turbo jam discessum parat. ps. Etiam discessum? L. Et literarum etiam divortium. ps. Credámne tibi? L. Vellem aliter esset. sed quid audio? convocamur ad Præceptorem. ps. Audi L. Non licet. valeat V. Dominatio. ps. Abi. quàm hic homo subito evanuit. Oportet catapantisticam esse campanulam, ut omnes convolitent Protonoëmatici, Epistemonistæ, Topistæ & Elencharii. Vah miseros restiones, deperditos retiarios, & laqueorum venditores inopes, quos nisi Mors à morte nemo ablaqueat, nec retibus quenquam capiunt, nisi Diogenem, cui cornua faciunt, aut Heraclitum non risibilem, aut murem rodentem syllabam, aut Æthiopem album & nigrum; aut sanè si venentur leporem, & leporem ha, ha, he! quàm consului accommodè Turboni his vinculis

culis sese uti maturè eximeret, neq; his
restibus in conspectum Solis unquam
ultra prodiret. Eloquencia potius, o No-
biles, vobis curæ sit, quæ non, veluti.
Semper clausa manus Logicam desi-
gnat avari: Nec intra jejunos & pulveru-
lentos subfelliiorum Scholasticorum,
specus delitescit, sed in Regum, Princi-
pum, Magnatum augustissimū conspe-
ctum prodit, summamq; movendi, ac ab
hominibus quidvis impetrandi potesta-
tem penè divinam accepit, suosq; reddi-
turos amatores ut celeberrimos, ita beatissi-
mos. Sed quid ego hic declamito, & ver-
ba prodigo condigna Regum auribus?
Potius Turbonem meum excipiam, qui
per paucis exauditis incitamentis, tran-
sivit è Castris Logicis ad Rethorica.

SCENA III.

Harlequin, Turbo, Stelinus.

Ha. **D**ate mihi locum amplum latū
atq; resonabilem, ubi ridere
facis liceat, & jubilarè, & conclamare, &
blasphemare, & imitari, & verberare,

B 2

suf-

sufficientissimè. In Scholam amplius³
nec cibo, nec lectionem recitabo, nec vir-
gis castigabor, nec Præceptorem obser-
vabo, nec ludere prohibebor, nec à pu-
ellis irridebor, & Præceptor ubicunq; &
quoties occurrerit vapulabit. Turbo
Dominus factus est, & ego ab ipso pro-
ximus³.

*Ille ego sum nulli nugarum laude secundus,
Quem non miraris, sed puto sospes amas.*

Ego glucha, Minor probatur; Quia Do-
minus sum. Sed prædagogus ita intus
fluit, ac diffluit, ut laxatione ullâ ei opus
haud sit. Consequens apparet, quia du-
centis, quos à mea institutione habuit,
floreus menstruis posthac carebit, nec
unquam in posterum, quod præceptor
meus sit, gloriabitur. Turboni admo-
dum iratus est.

*Me quoq; quod monui benè multa fide-
liter, odit,*

Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.

Sed hæc lingua in posterum perorabit,
tantâ cum vestrà admiratione, ut corrui-
atis & moriamini. Ita enim Psittacus³
promisit. Verùm comprimenda nunc
est, quia Turbo ipse adest. T. Annon

ego

ego infelix fui qui cum ad supremum
bonum alacriter tenderem, vocabulari-
am illam & nescio quam nebulosam
Philosophiam, permagnum in Felicita-
tis Regno, imò primum habere locum
mihi persuaderi passus sum! Sed ubi pri-
mum in lucem hominum veni, cum
passim omnes riderent genus meum di-
cendi syllogisticum, tum ob creberri-
mas captiones, distinctiunculas, & digla-
diatorios terminos contentiosus appa-
rerem, ac exinde molestus fierem, illud
quidem succurrebat: insanum vulgus,
tantas argutias & phantastica secreta,
minimè sapere: Linguam etiam meam
omninò non intelligere. Verum cum
animadverterem eos non tantum in
conversatione suaves, in cõsiliis graves,
in inventionibus acutos, deniq; rerum
earum, quæ à me tot monstrosis involu-
cris protrudebantur haud ignaros, sed
sub elegantiori veste peritissimos esse,
succensui mihi ipsi, & mox libellos illos
meos intra me condemnavi, paratus
quovis potiù aufugere, quam syllogisti-
cis vinculis ultrà detineri. Commodum
Psittacus intervénit, qui ut primum

Oratoriam suavitatem, amplitudinem,
commoditatem ac usum mihi aperuit,
fateor, traxit me lingua sua, & omni-
no omnes conatus meos sibi subjecit.
& hodiè quidem oculos meos insigni li-
brorum multitudine refecit. Quorum
copiam promptè obtulit, ipse ad læta-
variaque Autorum prædia me deductu-
rus. St. Malè sit ei, cuiusq; horologii
cura commissà est, ita nec indice nos,
nec sono docet, qua simus parte diei,
itaq; aggressus sum, si per Solem lice-
at, horam notare, qua natus est, Vicini
mei filius, Auspicatò credo, & syderi-
bus faventibus: sed id patebit ex horo-
scopo. Deum immortalem! hic Tur-
bo ille est, ob quem nostræ turbæ. T.
Euge Stellinum, nunquid nobis novi
è Cælo affert? St. Adibo hominem,
& cerebrumne ei adeo turbidum sit,
ut audio, experiar. T. Quod felix
& faustum, novus conflictus? St. Sal-
ve generose Adolescens. T. Salvus sis
Domine. St. Ecquid jam arma medi-
taris, aut equos, vel canes postquam
literis valedixisti. T. Ego literis vale-
dixerim? quas ego amo ut oculos meos,
imò

imò depereo. St. Atqui certa nobis
fama est, te literis scripsisse repudium
omnibus. T. Nunquam illud in men-
tem mihi venit, sed jugum saltem
excussi Logodædalorum, qui nihil cre-
dunt esse literatum, nisi quod nexus &
nodos respicit. St. Revivisco, post-
quam hæc ex te audio. Cum enim inge-
nio mihi semper apparueris exquisitissi-
mo, ac sciendi desiderio flagrante,
permagnum te fore aliquando litera-
rum decus credidi. T. Utinam id con-
tingeret! cæterum ego literarii hæc-
tenus nihil inspexi. S. Quid ergo ti-
bi est verè literarum? T. Quod lin-
guam non perpetuùm relinquit sic-
cam ac sterilem, vel fanè coaxantem,
sed divino Musarum rore madidam,
fecundam, floridam, atque ad moven-
dos conciliandosq; homines valentem,
alascq; dat pernices Mundum hunc uni-
versum ingenio pervolandi: qualia
jam sub Plittaco jucundè disco. St.
Proh Apogæum & Perigæum! Plittacus
te talem reddet, qualis esse concupiscis?
T. Id spero, nec metuo, ne fallat. St. Ah
longè erras. T. Id quidem Deus

ne faxit. St. Obsecro te, quæ prima tuæ
sub ipso institutio est. T. Excellens equi-
dem, jam vocabula conquiro ingēti nu-
mero, ac de vario ipsorum sensu, & ac-
commodatione sum sollicitus. St. Jámne
fatis? T. Nequaquam. Nam oportet mi-
hi cōstare, sitnè sub Ciceronis dictaturá,
an verò barbara & adventitia. St. Jámne
fatis? T. Nondum, Nam & formularū
scienciã nobis opus, ut quæ fuerint Ro-
manis solennia verba, exactè sciam. St.
Jámne fatis? T. Vah inde figuræ incipi-
unt, ac dicendi flosculi, postea unius sen-
tentiæ varietas & copia. St. Ergo jam sa-
tis? T. Exercitia supersunt: ut Roscii
personam suscipiam, aut Antonium in-
fecter, aut quod difficilius calvitium,
Podagram, sordiditatem laudandam mi-
hi sumam. St. Tandem satis. T. fortassis,
St. De antiquis nummis aut marmori-
bus nihil? T. Nondum. St. Nec critica-
rum disputationum, lectionum, notarū
quidquam? T. Nimia festinatio. St. Sal-
tem Patres conscripti, & Capitolium, &
fasces, rostra, circi, atq; bestiarii, lani-
stæq; in ore frequentes? T. Quid sibi vult
id examinis? St. Veniam mihi dabis A-
dole-

dolefcens. Nam fi id quæris, quod me-
minite olim quæfiviffè, hîc equidem nõ
invenis. T. Nempe fapientiaæ arcem.
St. Illam ipfam fruflrâ hâc viâ quæris,
ne habes jam quàm antè tantillo miti-
us. T. Non? St. Non Sed ut priùs ad ver-
ritatis perfectam investigationem ne-
quaquam perveniffi, ita hîc ad linguæ
tuæ exactam formationem haudqua-
quam pertinges. T. Turbas me. St. Sanè
Latinae linguæ mille phrafes, millenaq;
vocabula obfoleta devorabis. Verum fi
fit in publicum prodeundum, quàm mi-
nutulum erit ejus, quo Cicero, Demo-
fthenes, ac ejusmodi alii multi excellue-
runt: judicii fcilicet, cognitionis rerum,
modiq; tractandi, pertrahendive homi-
nes. T. Ego non ero Orator? St. Eris, fed
ut Præceptor tuus, qui Cimicibus ac ti-
neis declamitet. T. Non Regibus &
Magnatibus? St. Malè peream, fi id vel
auferit, vel poffit Præceptor tuus. T. Quid
vis me agere? St. Id tute videris, mihi
integrum non eft, te ut ab hâc viâ abdu-
cam, quamvis optarem nobile hoc in-
genium nobiliori ftudio admotum. T.
Scilicet Mathematico? St. Tu quidem
B 5 rides,

rides, sed si quando licebit Majestatem
ejus procul tibi intueri, mutabis scio
tam inconsideratum risum. T. Multa
quidem vilia vestra sunt, & abjecta,
qualia sunt Calendaria, Horologia, A-
rithmetica & agrorum dimensiones,
qualia jam cum plebe habetis commu-
nia, verum circuli vestri, & infinitæ li-
neæ, ac intricatæ armillæ, deniq; ex mi-
nutis & multiformibus corporibus lig-
neis strues, trunculi ac girgilli tam sunt
ridicula, quàm vos ipsi, qui novo bacillo
aut specillo reperto, præ gaudio modò
non morimini, aut nudi discurretis. St.
Hæc condonanda tibi puto, O Adole-
scens, qui ita procul abes ab hæc Regia-
scientia, quàm cogitationes tuæ plus
sunt terreæ, quàm ætheriæ, Verùm
si constaret tibi, quantum ea homini a-
periret, & jucunditatis & profunditatis
& excellentiæ humanæ, & Sapientiæ
Divinæ, & utilitatis in Bello, & com-
moditatis ad negotia humana, & lauda-
bilis recreationis & famæ inter homi-
nes, & detectionis rerum abscondita-
rum, & harmoniæ inter scientias omnes,
ita accendereris illius amore, ut cohibi-

tione

ione citius, quàm incitatione opus sis habiturus. T. Ausimne te domum comitari, & inspicere instrumentorum tuorum chaos? St. Imò invito & provo. Nec enim tam insanire mihi videris, qui non, si rationem audias, respicias. T. Ibo, atq; lubens. St. Eamus. H. Nunquid & Iego? St. Sequere. H. Expectate spectatores, jam enim redeo, nova vobis allaturus ex Martis & Mercurii Sphæra, tum quid Sextilis, aut Retrogradatio vobis minuentur. Memor ero vestri cum ad Lunam venero, sed properandum est. Vivite.

SCENA IV.

Pisius, Vanuthus, Turbo, Harleq.

P. **I** Am ante tibi dixi, *Sapientia pars est leviter despere*, & paulùm extra rectam viam ire, ad vitandum violentum aliquem occursum. V. Sed quis modus? P. Vidésne ut Nauræ vela sinuent, & obliquent, & teneant nihilominus suum portum? imitare. V. Etiam in pietate: P. Pietas tibi interna &

& vera sit proposita Modestia ac virtus,
in externis personam interdū sume, aut
pone, pro re aut pro ævo. V. Me verò
exemplorum diversitas turbat, ne eligā
quod rectum Nam in eodem casu, sive
periculo reperio Fortitudinis, Prudenti-
æ, Calliditatis, Patientiæ, simulationis
& dissimulationis usum felicem, utrum
ego eligam, atq; subito P. Plato rectè ait.
*Prudentia sola præit, & ducit ad rectè facien-
dum*- V. Nihil dubito, sed prudentis est;
interdum pati, interdum frangere, in-
terdum dissimulare, interdum parere.
Sed electio hujus unde? P. A Prudentia.
V. Ad idem recurrimus. P. Vanuthi,
quis hic est? V. Non novi. P. Admira-
bundus est, quicquid ei miri acciderit.
V. Aucupemur sermones ejus hic ex in-
fidiis. T. Nescio meherclè ubi sim, aut
quid agam, aut quid cogitem, ita ani-
mus mihi æstuat motibus, nec habeo ho-
minem, qui reddat hoc mare tranquil-
lum. Heu mihi! heu mihi! quàm fuisset
longè consultius, aut nescire cuncta &
negligere, aut habuisse qui primo in-
gressu viam monstrasset ad sublimita-
tem. Nunc postquam & annos & juven-
tutis

tus florem, & laborem omnem turpi-
ter perdi, animus quidem nunc ali-
quid prospicit, & admissus sublimia ar-
tium procul intuetur, verum is multa
vanitate, ineptiis & scholastica abjectio-
ne oneratus, nausensq; non illam am-
plius, quam antè, adfert promptitudi-
nem. Itaq; oberro & nunc me dedi huic
Mathematico, qui tot Artis suæ com-
moda ad vitam humanam mihi obiter
monstravit, ut obstupuerim. Ad castra,
Architecturam, Machinas, peregrina-
tiones, & infinita vitæ ornamenta, ut
mirer, posse id homines ignorare, aut
eo, quo solent, turpi loco habere. Hoc
instrumentum fausti initii nomine mihi
dedit, quo tempus jucundè fallam. V.
Anne is Turbo ille est? novæ semper ar-
tis novus discipulus? P. Equidem suspi-
cor, quantum ex sermone intello. T.
Mihi quidem decretum hac via pergere,
quæ tantum scientiarum complectitur,
poteritq; haud dubiè satiari mea desi-
deria. V. Colloquemur ne aliquantulum
cum hoc Protheo? P. Ut lubet. V. Adea-
mus. T. Heu mihi! in quos iterum ho-
mines incido? V. Salve Sternophile. P.
Salve

Salve Atlas, Cæli fulcrum. H. Ecce
per hæc pinnacidia prospicio vos esse
Nebulones. V. Salve inquam industrie
Adolescens. T. Benè sit vobis, dum
per vos mihi liceat esse benè. H. Cave
tibi aut caput comminam hoc Iacobi
baculo. P. Ne lædas, nam optimè vo-
lumus & hero tuo, & tibi, nam si is Tur-
bo es, uti judico, dignus profectò es,
qui quamprimum eripiaris malis tuis, id
genus tuum promeretur, ingenium sibi
vendicat, Respubl. postulat. T. Qui-
bus malis? P. Cæcitate, surditate, stu-
pore, linguæ & totius corporis vitiis.
H. An ego tibi dixi Hero ne maledice-
res? V. Quiesce, res salva est. T. Quid ego
dicam te tibi velle? P. Obsecro te, qui re-
liquis facilis es, permitte ut aliquid tecum
colloquar. T. Audiamus. P. Nonne indi-
gnum est, te ejus ætatis usq; adeò esse in
Mundo peregrinum, ut tam nescias, quid
inter homines hodiè agatur, quam quid
retrò actis seculis? T. Quid eo opus? V.
Vah. jam dictum est, ne tanta humana-
rum actionum varietate cæcus ambules,
aut surdus, ad diversam de exteris rela-
tionem. T. Nullam adhuc video infeli-
cità-

citatem. V. Nullam? Ecce quæcunq; unquam Deus fecit admiranda, aut hominib. concessit admiranda, Quæ ipsi homines à multis jam seculis inter se cogitârût, cum ad sumãam prudentiam simul atq; elegantia præcepta tibi esse possent, ea ignoras omnia, & interim literulis absumis temp^o, aut numeris, aut circulis, ac perspicillis, cælũ curiosè perscrutari vis, & Terram nescis, corpora superiora examinas, & hominem, divinũ illud & summum Animal relinquis intactum. T. Sine jam Mathematicis disciplinis juvenilem ætatem imbuam, illa quæ dicis Senio reservata sunt. P. Imò à primis añis circumspicere oportet, quid sis, & inter quos, quid homini concessum, quo ipse in tanta societate modo vivat, quæ pacem ac unionẽ turbent, quæ Regib^o dignitatẽ, subditis obsequiũ, & tam duram patientiã servant, qui hominum labores status, studia, mores, habitus, ritus, consuetudines, ut excelsus, tanquam ab alta speculã intuearis globum terrenum omnem, & ad bonam rationem examines. V. Atqui illud tibi Mathematicorum nemo dabit, hominum genus

genus usq; adeò rerum suarum dubium
& incertum, ut Terrane stet, an in aëre
circumvolitet, Planetæ num in æthere,
veluti pisces, natent; an per orbium di-
scursionem deferantur ambigant &
hæsitent. Sed actiones humanas, & tam
egregia historiarum monumenta intue-
ri oportet, quibus homo eò excellentiæ
pervenit, ut veluti totius orbis revolu-
tionem, Monarchiarum transmutatio-
nem, Religionis cursum, Regnorum e-
versionem & cõstitutiones animo com-
prehendat, tanto ac tam manifesto usu,
ut nequaquam eum tibi exprimere ne-
cesse sit. T. Heu mihi! H. An hunc per-
cutiam. T. Noli. P. Vos literugeruli, dum
domi delitescitis, aut Alphabetum, aut
regulas aliquas, aut lineolas quasdam,
variè descriptas pro subditis habetis, ut
Reges triumphatis, & nescio qua maje-
state virgam aut regulam, ac Circinum,
aut libellum manu ceu sceptrum tracta-
tis, cum prodeundum in lucem, ac quid
dignum tantis spiritibus pariendum e-
rit, mures prodeunt, nec ad opificum o-
pera, & structuras accedere potestis?
Nam quod Archimedis artes fortè su-
peref-

peresse suspicaris, longè erras. T. Non illi modi supersunt, quibus si detur ubi stemus, terra moveatur? P. Ha, ha, he! T. Nec ut homo unus integro exercitui resistat? Ha, ha, he. T. Atqui illud in promissis habeo. V. Noli credere. Nam hæc sunt artis commendationes à veterū sublimitate desumptæ, qualia si hodie exigas, nusquam reperies. T. Deum immortalem! vivitne homo me infelicioꝝ? vix dies præterit cum non turbor, non mutor, non nauseam prioris vitæ concipio, heu mihi! qui in literatos incidi, homines multiformes, multilingues? Væ mihi! P. Salva res est. Nam ad eam, quam tibi descripsimus, sublimitatem tantâ literarum sarcinâ opus non est. Ingenio ac iudicio eò evolabit, ut verò libens humi repis, & scolasticis nugis animum terræ affigis; Enitere magnanime Adolescens, & hæc Magistrorum deliria contemne, ne dum tibi ad altissima quæ que ascendisse videris, dignus dicaris, qui pueros doceas. Potius ad ea, quibus Reges & Magnates occupantur, te parascilicet, quæ ad regendos ornandosque homines conferunt, non ad scholasticorum

C rum

rum auditoria. V. Deniq; utaris Litera-
tis non ut principibus tuis, sed veluti Me-
chanicis, quorum permagnus est in Re-
pub. usus. Tu præmineas, reliqua illa
turba te circumstet, & quicquid haber
Artis communicet. T. Heu mihi! heu
mihi! P. Meditare hæc nos tempus aliò
avocat. V. Precor tibi animum magnũ,
haud illum scholasticum. P. Vale ge-
nerose Adolefcens, & excellentioris
concupiscentiæ igniculos, illis literari-
is rivulis, ne extingue. V. Valetè felicif-
simè. H. Pergite, satis est, quod non va-
pularis.

SCENA V.

Turbo. Harleq. Horatius. Famulus.

T. **I**lli abierunt. Ego hic sto, Magistel-
lorum lusus, mei tortor, curiositatis
exemplum. Vah! hæc vota mea sunt?
hæc de literis expectatio? hæc literarum
sunt elogia? Ego ille primus erò, ille
qui hominum errores è sublimi despici-
at, & commiseretur? H. Here, jam an-
tè edico tibi, si cum quoquam ultrà fue-
ris

ris collocutus, occidam utrumq; Nam
noyam à singulis concipis phantasmiam;
unde si ita pergās, quanto me post te re-
linques intervallo? T. Comprime os.
H. Et tu lætæ mentis sis. Nam quam-
cunq; iniers vitæ rationem, me habebis
socium, sive ad Episcopatum voceris, si-
ve in balneum. T. Miseria! Eheu! quam
nimis bene dixerunt postremi hi duo nã
ad solitariam vitam artes illæ fortè faci-
ant, ad Civilem alias oportet esse, rerum
scil. cognitionem & de rebus iudicium,
qualia sibi dare mihi non possunt Magistri
nostri, pereant. H. Sapis, & ego interi-
mam. T. Tutace: sed ubi exordiar vi-
tam meam politicam? Ita faciam. Non
placet. Heu mihi! jam nec mihi ampli-
us, nec Præceptoribus fido. Heu! quis
Phaleratus ille, & immane spirans? H.
Ergo collectæ sunt res meæ, & consarci-
nata. F. Etiam Domine. H. Vide nihil
impediat, ne cras primâ luce abire non
possim. F. Curabo. H. Equidem hoc
quatriduo, quo urbem hanc sum perlu-
stratus, non videor mihi tempus perdi-
disse, situs commodus, vivitur parvo,
leges bonæ sunt, consuetudines probæ,

ingenia mitia, de armis credo minus ne-
cesse habent, cur cogitent: Famule quis
ibi astat? F. Scholares sunt, si benè pro-
spicio: Nam propendent ab ipsis cala-
maria. H. Ha, ha, he! pediculosos ho-
mines, oportebat ipsos odorâsse. Quam
metuo, ne versiculos aliquis mihi exhi-
beat. F. Effugere non possumus, quin
prætereamus eos. H. Sine sit. Har. Heus
tu, quis es, plumate, qui nos præteris te-
cto capite, me & herum meum? F. Sce-
lestum hominem! Har. Etiam maledi-
cis? Hem tibi. H. Proh facinus! jam qui-
dem moriere. Har. Id quidem facito, &
persolves hac die centum florenos. T.
Obsecro te Domine, parce huic nam sa-
næ mentis non est. H. Quid ais calamari-
um. T. Verè hic homo fatuus est. H.
Quî ergo stultelcum stulto tuo non hic
procul facestis ilico? Præsciebam omi-
nosum esse, si quis occurrat Scholastico.
T. Quisquis es homo, temperabis tibi ab
his sermonibus, si benè cognoveris. H.
Vah Hominis Sceleron, qui per papyrû
peregrinatur, in atrameto navigat, pen-
nis digladiatur, vocabulis servit. T. Si
civile id est, homini benè nato, & libera-
liter

liter haftenus habito maledicere, satis
modestus es. H. Paradoxum, hominem
ad clamor cōdemnatum posse benè na-
tum esse. Har. Here, ego conclamabo,
& Matrem, & Patrem tuum, & Sorores
& Præceptores, & Ministros, & subditos,
& commilitones tuos omnes, hunc ut
in frustra discerpant, qui negant te benè
natum. H. Fortassis benè, sed ad bonum
nunquam, si iis adhæreas ornamentis.
T. Cum hæc deposuero, non deerunt
teretes hastæ, clypeiq; rotundi. H. Dic
Sodes, an bono loco natus es? T. Atque
optimo. H. Et Pater tibi superest? T.
Ac in supremâ dignitate. H. Et literis
hoc ætatis torqueris? T. Imò summè
afficior. H. Nec habes hominem, qui
te hac infamiâ liberet? T. *Quod quisq; ne-
scit, adit.* H. Equidem glori or, ad eam cui
natus sum vitam, nimium literarum mi-
hi haud contigisse, quæ animum aut ef-
feminant, aut inflant, aut reddunt curi-
osum, aut scholasticū. Mihi hic Mundus
schola est, variæ Terræ Præceptores, hu-
manæ actionès libri, varia ingenia cha-
racteres, Aula palæstra, ipse intra hæc
examen, ac lydius lapis, quæ omnia adeò
C 3 jejunè

jejunè libellis depinguntur, repræsentanturq; ut in somnia meritò dicas, umbras & spectra, præ vivis illis Martis, Mercurii, Veneris, Jovis experimentis. T. Quæ hæc sunt? H. Hò Scholastice! Castra, Mercimonia, Amores, Aulæ, variaque hominis peregrinantis objecta, quibus ille aut literas accomodat, aut judicium exacuit, aut Artes Mathematicas admovet, aut Politicorum decreta examinat, omninoq; hominem, admirabile illud lubricum, ac versatile animal, sibi tractandum sumit, nunc Majestate elatum, nunc ingenio armatum, nunc servitute depressum, nunc ignorantia sepultum. T. Quid ais te illiteratum? H. Admodum mehercule, ac Deo gratia esto, qui post leviter degustatas literas, noluit me inter eas computrescere. T. Et unde tibi tanta? H. Illud est, quod vobis deest, qui dum inter chartas vestras & papyraceas pugnas, aulas, seditiones, Respublicas volutamini, facillimè vestros fictitios homines, & debellatis, & exagitaris, & compesticis, & regitis. Verum ad praxin producta tantum sapitis, quantum statuæ, & obmutescitis, cum

entur, repræsentat
tò dicas, umbra
s Martis, Mercu
perimentis. T
Scholastice! C
nores, Aula, v
nantis objecta
commodat, an
Artes Mathema
corum decreta
ominem, admi
ac versatile ani
nit, nunc Maje
nio armatum
m, nunc igno
dais te illitera
hercle, ac De
iter degustat
reas computre
ra? H. Illud est
um inter chara
gnas, aulas, sed
tamini, facillim
s, & debellat
citis, & regio
ucta tantum
& obmurefcit

eum se simulacra movent. H. Here, hic
homo malus non est. T. Tace sis. H. Tum
si quid cum exteris intercedit, negotii,
quam facile non nostræ scientiæ pudet,
quam est in sulsum inexperientissimorū
hominum confessū audire perstrepen-
tem Grammaticum, aut Scholasticum,
anserem; Omnia scire volunt, & omnia
nesciunt. T. Tu literis iniquus eris, qui-
bus ab omni ævo fauerunt optimi. H. O
egregias literas, si habeamus egregiè li-
teratos! Nunc dum parvis occupati, ne-
sciunt se erroribus impendere miserrimam mentem: in illustrem ambitū Magnatum, in sollicitas Principum curas ridiculi declamatores inquirunt, quasi nihil intersit inter sordidam & magnificam vanitatem, nisi quod illa peccandi impotentiam ostendit. T. Nihil inter literatos distinguis? H. ægrè. Har. Et Monachos uno nos ordine habebimus omnes. T. Nec Politicos excipis? H. Illos chartacearum urbium constructores. T. Nec Historicos! H. Illos externorum gestuum, aut fortuitorum casuum sollicitos descriptores. T. Quem tandem approbabis? Har. Qui longa potest

potest dispendia ferre viarum. H. Illum
qui animum suum non otiosis nugarum
& opinionum securis divorticulis sagi-
nat, & per voluptatem humanas res in-
tuetur, sed eundem cum ingenti conver-
sionum humanarum mole committit,
manus suas porrigit, & vitam omnem
humano servitio devover. T. Talem
ego expeto vitam. H. Talem illi Tuscu-
lani in visam juventuti reddunt, & ve-
nenatis verbis adeò depingunt barbarã
ac sordidam, ut quicquid ultra ferulam
est, aut scholastica scamna, plebeium
proclament, ac terreum. Hic semper
risit, alter semper flevit, istène ridendus,
flevendus an ille magis? tertius in dolio ha-
bitavit, homines Ignava opera, philoso-
pha sententia. Har. Ne crede huic homi-
ni. Qui enim benè dicat o creatus, toga-
tus, pennatus, qui nec meditatus est hæc
diu, nec legit è charta? H. Ha, ha, he! tu
prodes omne mysterium pædagogismi
T. Malè sit ei, qui quis te primus à literis
avocavit. H. Malè sit omnibus, qui te
porrò literarum compedib⁹ detinebūt.
T. Benè literis, si te iterum exorent pro-
pitium. H. Benè Reipubl. si ei temet de-
des,

des, relicta hâc vitâ pediculariâ. T. Nescio an benè velis mihi. H. Nescio an intelligas quàm commiserer sortem tuam, quem judico in balance positum, saltem verbulis ex misera illa parte detineri. T. Ubi habitas? H. Hic quidem peregrinus sum. T. Sed posthac nobiscum eris? H. Imò cras abeo. T. Sed hospitium ubi est? H. Ad falconem deauratum. T. O felix homo quisquis es. Mihi nec aurum deest, nec dignitatis spes, nec servientium numerus, sed bonum consilium. H. Quid suspiras, in manu tua Libertas est, apprehende. T. Hei mihi! Har. Nunc tempus est, vos cum dividam, dum illud audio; heu mihi. T. Heu, heu mihi! H. Hic flebit opinior homo, ego ad res meas abeo. Har. Sapis jam tibi necem meditabar. Quid fiet, ô cives, si herus meus quotidie nova audiat, & nova credat, quàm metuo, ne se tandem credat inopem, aut sumptibus impari, meq; dimittat, Mihi ars una est Ineptia, quâ invictus sum, & eludo disputatores summos si quid dicunt, nego: si quid probant, non credo: si permulcent rideo: si minantur, aufugio: quoquo me

versent cubus sum, semper subsisto. Ego
is sum, quem si laxes erepit, si premas
erumpit. Sed atar! se Herus meus sub-
duxit.



ACTVS SECVNDI

SCENA I.

Harleq. Gerson. Malliet.

SI triginta sex annis pendeas de supre-
ma cruce, non lues flagitiū tuum Ne-
bulo, qui me in has terras deduxisti, ubi
Diabolos habitare credo, non homines
Nam illorum ne unum quidem intelli-
go, omnes perstrepunt, & glocitant, ut
in singula momenta circumspiciam ad
ictus. Si quid peto, si quid familiariter
tento, nihil est, aut rident, aut circum-
stant, jam fortè comprehendendū. Ka-
lasti piripateta, lomelaleta opidi, Kari-
si luridi, Wiri Widisi, Kardivipopsidi,
golibitodisi, quid hoc est? possem ita si
vellem;

vellem; sed nec sic me ipsum intelligo,
loquantur Germanicè nebulones, si
quid rerum honestarum agitèt, aut ego.
Sed illorum heu plures sunt, jam cum
tentarem fugam, veni ad portam, quæsi-
vi placidissimè: Quæ via tendit in Patri-
am meam? ita subito conclamaverunt,
scelestissimi, ut jam præviderem mortè,
Alter dixit Kolallefus, alter fullefus, ali-
us Kedikefus; ego iratus dixi, Narrefus,
Schelmefus, Diebefus, & ingenti mur-
mure ad Herum meum redii. Nunc ab
ipso petam, ut rheda sua ac sex caballis
domum me reducat, adjungatq; homi-
nem, qui scelestū illud Kolallefus & ful-
lefus possit, restituatq; me iis qui, ut in-
telligantur, loquuntur. Nam si quid vo-
lo, per signa mihi dicendum est, & cum
admodum esurio, ineptissimi homines
judicant mihi dentes dolere. O si Herus
meus senior sciret, me atq; filium ipsius
ita esse proditum, fieret scio, & quadri-
gis albis me revocaret domum. Sed ecce,
duo meschants, poltrons, larrons, vilai-
ns, grands fols. G. Voilà dont ie n'auçy
jamais oui parler: Et commenta-elle-
nom: M. Dame Folie, laquelle n'est seule-
ment

ment soeur, mais corps & ame d'Amour. G. Tu veux inferer par là que tous amoureux sont fols, non pas? M. Ice ne dis pas tous, mais bien la plus grand' partie. G. Voilà le serviteur de ce Monsieur Allemand. M. Laisse moy faire: Ah poltron, c'est à ceste heure que ie me vengevay de l'injure que tu fais à mon maistre. H. Holla/ quid tu vistibi Poltron, Schelm/ Hundsf.? M. Ah traistec, tu n'escapperas de mes maus. H. Currafchi, egote excipiam modo, quo es dignus, hem tibi. M. Ho bonami. H. quid bounimi Nebulo? Vapula. M. **En tischaga.** H. ho vapula Germanicè machant mutton. M. Mon Maistre. H. Nihil agis, non exorabilis sum. M. helas mon dieu, H. nos pugnosed. M. je crie merci. H. Etiam hos, hem! sic dabitur, si quis posthac Germanum riserit. Sed quis Dæmon hunc Nebulonem mihi subduxit, jam discerpendus mihi erit. na infelicitatem, qui nondum media parte iram meam effudi, non exoneravi fellis mensuram: Sed heus vobis edico Galligallinacii, quisquis primus in manus meas inciderit, capite truncabitur.

SCE-

SCENA II.

Turbo. Horatius. Pollux. Harleq.

T. Euge noster Harlequin, quid furit?
 holla Harlequin, Monsieur Harlequin redi ad te. Har. hic quidem locus est acceptæ ac datæ injuriæ. HOR. Quis te offendit? Har. Vellem perires, cujus seductione, hic sumus, ubi nobis lingua inutilis est, & manibus oportet loqui. HOR. Sis propitius mihi Signor, nam faxo brevi utaris linguâ tuâ, uti hastenus. Har. Etiam hodie? HOR. Fortassis. T. Vah negligè illum. Nam haud facilius placabis, quam si sinas animum defer vescere. HO. Sed de his terris quid tibi videtur? T. Optimè equidem consulisti: qui enim facilius hanc superbâ opinionem ejecissem, neminem nisi domi suæ sapere? HOR. Nonne tot ingeniorum diversitas ingenium tuum fingit & refingit? T. Fateor omninò, sed rusticitatis me pudet meæ, qui ad placidos illorum & amabiles mores, corpus adfero tam inflexibile. HOR. Id quidem Pollux hic optimè flectet, facietq; ductile mag

le magis, quàm est cera. T. Ego me tibi
in disciplinam dedo, flecte, incurva,
complica, extende, uti libuerit. P. Ars
nostra minùs periculosa erit. T. Nónne
sic salutabo Amicùm? P. Benè. T. Et
Nobiliorem ita? P. Tenes: sed Regem,
quomodo salutabis? T. Id ex te sciam.
P. Ita portò Puellam honestam. T. Ten-
tabo. P. Nimiùm primis. T. Amor mo-
derabitur. H. Dii Deaq; omnes, prope-
rate in auxilium nobis, nam hi neq; poti-
sunt, neq; loti, neq; pasti, & ebrii tamen
sunt: credo ab aère. Ecce immanem
stultitiam! quid pedibus ac manibus ge-
sticulantur? ô Turbo, si illud voluisti,
conduxisses domi simiam, & didicisses
mille circulationum formas. Ædepol si
hac ad virtutem viâitur, iter est ridicu-
lum. P. Iam varia sunt præcepta for-
mandorum membrorum, ut stes ele-
gantet, ambules deceter, quæ cuncta ad-
disces paulatim. T. Verum quid inde
ad me redundabit solidi? Hor. Illud ut
quòque te vertas, concilies tibi homi-
num gratiam, dicarisq; uti corpore, ita
Ingenio versatilis. Har. Turbo, ubi ha-
bes illud vulgare tuum, heu mihi! Hor.
Quid

Quid tu vis tibi? Har. Ut malè sit tibi,
qui ex scholarum otio nos pertraxisti
ad inepta negotia, duplo mihi jam quàm
antè est deterius. Hor. Nescio an Mo-
rum tecum habeas, an famulam, ita-
dentibus est formidabilis. Sed nos ànne
paulisper ludimus? T. Charrifne. H.
Ha, puerilia, pilà minore aut ballonis.
T. At ego nec vidi hos lusus unquam. H.
Suspicabar. ita estis in scholis abjecti,
sed eamus ad locum lusus. Ne dubites,
cum annum inter hos eris homines,
multa tibi consueta erunt, quæ nunc vi-
dentur nova. T. Nescio, quid mihi fiat:
ut nervis trahimur, alienis mobile lignum.
Har. Nonne heu mihi! Hor. Allouf donc.
Har. Eamus, posteaquam ita irati nobis
sunt Dii, ut quotidie reddamur ineptio-
res. Mihi sanè, ut prævideo, viven-
dum posthac erit inter confi-
sus perpetuos.

SCÈ.

SCENA III.

Panurgus. Malliet. Harleq. Turbo.

P. SI quis ex me quærat fortè, quis sim?
 unde? quò eam? aut unde vivam?
 ædepol nescio, Nec enim vitæ genus
 profiteor, nisi quòd casus mihi imponit,
 nec nisi Mundum Patriam agnosco, nec
 tendo aliorum nisi quò fata ducunt, de-
 niq; alit, quisquis me primus suscipit.
 Miseram equidem sortem, & ingenii va-
 gabundi merces, ut ad cujusvis nutum,
 venale corpus circumferam, hæcenus
 per omnes terræ angulos jactatum. Et
 tamen, quantumvis longè infra spem,
 quondam meam, & momentaneâ inter-
 dum quiete delector. Credo etiam *ipsam*
miseriam reddi jucundam, si venit in consue-
tudinem. Sed venter intus latrat, qui
 placandus mihi est efficaci ad commise-
 rationem oratione: hunc primum ag-
 grediar. M. Inauspicatò prodii, qui fa-
 mem habeo in occursum. P. Dum accipi-
 am, unde hodie vivam, de crastino cras
 videro. M. Si Dii hodie mihi benè ve-
 lint, committam hunc hominem cum,

Har-

Harleq. Turbo.

Fortè, quis sim
unde vivam.
in vitæ genu
mihi imponi
agnosco, nec
ta ducunt, de
mus suscipit
& ingenii va
us vis nutum
am, hæc tunc
jactatum. Re
ge infra spem
tientanea inces
edo etiam ipse
si venit in comp
ntus latrat,
ci ad communi
nc primum
prodiu, qui
P. Dum acco
de crastino
ie mihi bene
hominem cu

Harlequino. P. Si quid unquam Domine
in vita expertus es adversi, aut minus ha-
buisti spes secundas, aut labores ingen-
tes irritos, aut Fortunæ in genus tuum,
studia, merita ludibrium es expertus,
miserere mei, hominis jam multis annis
sæva tempestate jactati. M. Equidem mi
homo, incidisti in hominem æque mise-
rum, & vel hoc nomine infelicem, quod
miseriæ tuæ succurrere non potest, sal-
tem lacrymas suas addere. Sed hic in-
proximo homines habitant opulentissi-
mi, quos tibi, dum plura nequeo, conci-
liabō. P. Patria illis quæ est! M. Sarmat-
ia credo, aut Schlavonia, aut Moscovia,
certè admodum peregrini sunt. P. Sed
vitæ genus quale? M. Literis impensè
favent, & linguas amant, unde si variè
eos alloquaris, optimum feceris illis, tibi
fructuosissimum. P. Et Genere præpol-
lent? M. Utiq; sed alter vestibus luxuri-
at, ut plerumq; , nescio quid ridiculum
repræsentet. Sed quid verbis opus, jam
eo, ut eos evocem. P. Deus te servet. M.
Tibi id potius opus est, ne hodiè vapules.
Evocabo Harlequin, tanquam ad Sym-
patriotam. P. Benignum hunc opinor.

D homi-

hominem, si id loci ingenium permittit,
sed revocavi ipsi fortasse toleratā quon-
dam miseriam, quā tactus est: sed quæ
hæc facies hominis? H. Quis me vocat?
& interturbat graviora negotia? P. Si-
gnor mio, voi vedete per essemplio che la
Cornamusa non suona mai, se la non hà
il ventre pieno: così io parimente non vi
sò contare le mie fortune, se prima il tri-
bolato ventre nõ hà la solita refectioe.
Al quale è adviso che le mani e li denti
habbian perso il loro ordine naturalè, e
del tutto annichilati. H. Ecquid loque-
ris? P. De tanto hablar yo soy cansado,
porq; suplico a vuestra Reverencia, que
mire a los preçetos Evangelicos, paraq;
ellos muevan vuestra Reverencia a lo
que es de conciencia, y si ellos no basta-
ren para mover vuestra Reverencia a
piedad: suplico que mire a la piedad na-
tural, laqual yo creo que le movera co-
mo es de razon, y con esso no digo mas.
H. Exspecta dum adferam dictionaria
mea, si quid fortè horum ibi reperiam;
P. Vesha Gnada jest nozhem na ushe vis-
he skussiti, abibi mogel uasche ferze re-
sinoziti. Sakei aku mi sidaisagada hpo-
muzhi

muzi napridete taku ja se moja Zheua
dianukatera fa velike lakote volo sday
se hozheo effuschiti. H. Equidem credo
te conjurare Diabolos. Here here, venif-
si fittemant, fittemant. T. Quid clami-
tas? H. Ecce tibi hominem, qui linguam
mutare potest in omnium brutorum
fermonem. Audivi loquentem ut Asi-
num, mox ut Taurum, deinde Anserem,
tandem credo Diabolorum linguam
proferet. T. Quid tu offendis innocentes,
homines scelesti? Amice, ecq d tibi vis? P.
Schalom lechà Adonai: Shiem-nà bechòl
leab décha: ki ani anochi veébiòn: Le-
máin ténah-nà miziràth léchem, mizi-
rathmáym, ò agoràth késeph jechidàh:
vajemallè lehovàh chol-miemschalté-
chá. Abàlckilo nothiénattà, Ben-Belná-
alatta, nimschálta im jorede-bóc. T.
Non facis te intelligo. P. πὴν ἐν ἀθρώποις
μέραν γενέσθαι ἐθέλοντα δὲ εἶναι πολὺ γλωσσῶν
ἐπιγῶν γὰρ γλωσσῶν γνώσις ἕκλει θάυμα μέγα.
εἰάν θελῆς οὖν γλώσσις κύριε ἐγὼ μὲν αὐτὸς μι-
κροῦ μωδοῦ σε διδάξω. πρῶτον δὲ λιμὸν καὶ δι-
ψῶν μου κάλυε. λιμῶτι γὰρ καὶ διψῶ λίαν.

D 2

T. Ne

T. Ne scauez vous pas parler Francois?
P. Si scay tres-bien, Seigneur, Dieu
mercy: c'est ma langue naturelle & ma-
ternelle: car ie suis nay, & ay estenour-
ry jeune au jardin de France. T. Et Ger-
manicè loqueris? P. Herr/ ich könt wol
Teutsch/ Aber was hülff mir / weil ich mir
nichts geben wolt / Mein Zung ist mir nuns
mehr so dartz / daß mich vilmehr gelüßet einen
guten Trunck zu thun / als viel Sprachen zu
reden. Hareq. Eck skal dy rest eins bringen.
T. Si Latine loquereris, cōveniremus fo-
tassis. P. Quid addam ultra, postquā per
Deos Deasq; & Musas omnes à vobis ni-
hil impetro, sinite me inclementes viri
ire, quò me aspera fata trahunt, retra-
hantq;. T. Nunc quidem te intelligo.
Ha. Quasò quid locutus es prius? P. Ita-
licè, Hispanicè, Sarmaticè, Græcè, Hé-
braicè, Gallicè, Germanicè. H. Ha! cur
non jam ante indicásti mihi! & respon-
dissèm tibi in singulis, ad singulas imò
plures ego calleo Herr Monsieur, Domi-
nus, Signor, Pan, Kyrios, Uran, Morjo,
Adonai, Sennor, cætera sensus habet. T.
hic tibi dies infaustus non erit: nam ho-
minem reperisti, qui agnoscat dotes
tuas

tuas. H. Nonne etiam potes linguam
Utopiensium, Barocensium, Bocarden-
sium, Felaprensiū, Disamensium? P.
Fortassis. H. Et vidisti terram Audi-
vi, terramq; verborum congelatorum, ter-
ramq; Ivourniam, & urbem Bacheram,
& avem Ruck, & Cingulum Omassii, &
pileum Gephyrinionis. P. Omnia. H.
Noli mirari, nam & ego decies orbem,
totum circumivi, vidiq; quæ planè in-
credibilia: sed unum dic mihi, cur men-
dicas, & caligas habes pessimè confutas?
Iterum dic mihi annon potueris ex tot
linguis, & totidem Regnis suffurari tan-
tum, quatum sufficit ad pileum novum?
Et quæro an semper ita malè habeas? in-
super quæro quantum à me velis habe-
re? porro quæro quò tendas? ac quæro
postremum quid tecum, & quot mille-
nos portes pediculos! T. Noli offendi, a-
pud me habebis mitius. P. Ego offendar,
qui callum obduxi ab offensionib⁹ duo-
decim spithamarum? H. Turbo, scin-
quid mediter? T. Audiam. H. Cum u-
nicam Germanicam linguam potui, fui
ditissimus, postea Latinam adjunxi, &
pauper factus sum, nunc in Gallica, ex-

erucior, & ad mendicitatem propero, si
ita pergam brevi ostiatim obambulabo,
sicut iste, quem apparet æque fuisse
quondam opulentum. Nunc judica
quid de te futurum sit? qui non minus
nummorum infumis, quàm ego: *Scili-*
cet nummos presentes dabimus pro lingua,
quã emendicemus iterum nummulos futuros.
P. O, o, nescis tu nos omnes vivere ex
alieno. Quid interest, petas quod o-
pus tibi est, aut spontè tibi affluant si-
mul necessaria & superflua? T. Tu
prandebis hodiè mecum, & audiemus
tua Odyssea. H. Non suadeo: Nam ut
hic multilinguis nobis minatur, haud
habebimus satis absconditos nostros
nummulos. Per linguam, nisi matu-
rè prohibeam, Turbo meus hunc lin-
guosum linguacemq; hominem hodiè
conducit.

SCENA IV.

*Geryon, Lapitha, Blessus, Harleq.
Turbo, Panurgus.*

G. **N**Ec vidisti ipsum hoc triduo? L.
Nonequidem. G. Sed ministrum
ipsi-

ipſius? L. Semel aut bis, verum cogita-
bundum, & ut ſolet, cum Herus novum
vitæ genus induit. B. Equidem mirum
eſt, vivere poſſe hominem, qui ſibi quo-
tidie diſplicet. G. Sed illud quod jam a-
git, quale eſt? L. Ridiculum eſt, Mappas
habet prægrâdes, & retia, quib. linguas
omnes ad fontes & principia ſua revo-
cat. B. Scilicet ut uno labore omnes di-
ſcat. G. Ha, ha, he! L. Et harmoniâ ſcien-
tiarum omnium inveſtigat, retrogredi-
turq; ad artium ſcaturigines. B. Nempe
Hefiodi catena eſt. L. Itaq; jam fodit, ut
verum effodiat. G. Abrumpe, ſi nos vis
ſalvos, & hanc haſtam accipe. Nam
illi quidem inſanire licet, dum liber, tibi
non item, quia Majoribus degenerare
nondum decreviſti. L. Sed ab oculis
memento abſtineas. B. Satis memini. L.
Congrediamur.

Conſlictus Pugilum.

Har. Hola, hola Meſſieurs, attendés un
peu, quid ſibi vult hæc barbaries? ad
Judicem, ſi quis alterum offendit. Tibi
dico, laiffé done par maſoy, aut abibis
hinc abſque capite, **Burgſrid.** L. O Har-
lequin, grandami, quàm exopratus
D 4 mihi

mihī succurris, hic mortem intenderas,
H. Tibi? *L.* Imò mihī. *H.* Nec aufugisti?
ma foy, oportet te esse *A*finum. *B.* Heus
Harlequin! *H.* Ne quid propius. *B.*
Proponemus tibi casum, tu *J*udex eris. *L.*
Ego prior. *B.* Ego prior. *L.* Ego prior.
B. Ego prior. *H.* Vah inepti esto uterque
prior. *L.* Tace tu, aut vapulabis. *B.* Ta-
ce, aut verberaberis. *L.* *L*ucius *A*gato
*P*risceus, nec vir, nec mulier, nec *V*irgo,
nec *J*uvenis, nec *A*ndrogynos, hunc sibi
quisquis habuit dando cicatricem, vul-
nus profundum intra corticem arboris
in sublimi vertice esse, voluerunt acci-
pere, quid juris? *B.* Nequaquam: sed
stabulum ingressus villico, sanavit sic-
cus intra *H*erculem ac proposito sibi
undecunq; hodie acciperet libellū sup-
plicem porrexit illacrymando flebili-
ter. Nonne *J*uris? *H.* *I*ntelligo. Nonne
tu habes cicatricem? *L.* Ita *D*omine *H.*
Et ille fleuit? *B.* *O*mninò. *H.* Sed cur tu
flevisti? quia ille habet cicatricem? *L.*
*Q*uoniã omnis mons excelsior est Valle.
H. *B*enè, sed si vallis stat supra montem.
B. *T*um glycyrrhiza medetur tussi. *H.*
*T*ussis autem nonne offendit fauces? *L.*
Omni-

Omniñò sunt enim semper duo recti in
omni triángulo. *H.* Ita argutè, quoniam
triangulum semper quadratum est. *B.*
Ut Virgilius ait, Cujum pecus? *H.* Hem
tu me vocas un cuion, scelestissime agri
Phænicum? *L.* Vides malitiam hominis.
H. Video, sed commodum herus meus.
Vah here, mediâ luce homines hic se in-
terficiunt, *T.* Salvete. *L.* Salvus sis. *H.*
Ast ego prohibui autoritate, viribus, ju-
dicio, consilio. *T.* Maçte Harlequin, sic
itur ad astra. *G.* Ego risu hæcenus pro-
pè corruì. *H.* Etiam rides in capitis pe-
riculo: *G.* Quid dicam, quòd hoc triduo
non inter fuisti nostris exercitiis? *T.* E-
quidem huic homini dono dedi tres in-
tegròs dies, nec pænitet. *L.* Ecquid fa-
bricatis columbas ligneas volatiles? *H.*
Fatendum est, nunquam mihi magis o-
neri fuit ullius institutio, quàm tua; dum
enim Dictionarium meum, & Dictiona-
rio, & dictionaire, vnd *Wörtlinbuech*/
Latino-Germanicum, & Francois Ale-
man, & Italiano francese. & *Rumb* vnd
Rumb vnd durch einander mecum circum-
fero, ter centum pondò vix respondent
oneri. *T.* Nunquam credidissèm cubum
illum

illum tam insigni artificio recludere,
posse linguarum claustra. L. Sed profe-
ctum aliquem inde speras? P. Ne du-
bites. T. Videor mihi procul intueri
linguarum ostia. P. Ita est, cum in cen-
tro repositus fueris, licebit tibi egredi ad
quamcunq; linguam. B. *Mysterium.*
Quia tu potius his omissis ineptiis mem-
bra tua mecum exerces? H. Hem! anne
ad homicidia iterum. G. *Quam importu-
nus rerum censor tu es, nisi properè
quiescas, hos omnes in te committam.*
En Turbo, nos colludemus. Ille & Bles-
sus. H. Ego ne patiar. T. Desine tu. H.
Ho ho bene: Si intereundum est, veni
Panurge, ego te occidam. P. Absit talis
error. H. Perge, perge, ne moriamur,
tardius, vides quàm illi jam canant *Me-
dia Vita*. hem anne morieris inultus? P.
Cave tibi.

Conflictus trium parium.

H. ho satis est. P. Nondum. H. Satis in-
quam est. P. Atqui mori paratus eras.
H. Sum, verum absq; verberibus. Desi-
ne tu inquam, si sapis. T. Sirio me her-
clè, ecquis nobis potum adfert? H. Ego,
ego, ut salvâ dignitate aufugiam. P. Ho-
diè

diē quidem evasisti. G. Nōne satis est
corpus curare motu, quā literariā de-
sidiā absumere. T. *Sua est literis jucundi-
tas, exercitijs sua.* H. hem, quis est, qui
firiā? ego præbibo. T. Quintu mox
porrigis, heluo! H. Differ, differ ajunt
nocere corpori, si quis calidus potum
præcipitet. T. Iamne porrigis? H. At-
qui vitrum meum nondum vacuum est,
sed accipe ne iras caris, & calefcas duplo.
T. Haustum Athleticum. G. Salvus sis.
H. Oportet Nebulones vos esse omnes,
qui paulò antè necem vobis invicem
intentastis, nunc convenitis & combi-
bitis. B. Tace, venenati haustus sunt,
quibus se mutuo absument. H. Itane?
B. Ita profectò. H. At ego prior hausi.
B. Sapuisti, ita non inspicies reliquorum
mortem, scilicet præcurre ad Charon-
tis cymbam. H. Quid ais? B. Quod
res est, Nōne jam malè habes? H.
Certe, ædepol, medius fidius. B. Paulò
post videbis ipsos insanire, & titubare,
& balbutire, & torvum prospicere. H.
O facinus imbibere insaniam? B. Sed
& ego bibam. H. Noli. B. Quare. H.
Ut superfit, qui fata nostra referat.
Ego

Ego verò nescio, quam benè habeam,
T. Quis te turbat? H. Nescio, sed in con-
suetudine tua mihi semper malè est. T.
Quid ita? H. Quid hìc egistis? T. Mem-
bra exercuimus, brachia, lumbos, omnes
nervos fecimus agiliores. H. Terra vo-
bis aranda foret & fodienda, aut finden-
da ligna, aut comportandi lapides, si ex-
ercitiis opus habetis. B. Memento Har-
lequin, te atq; nos omnes sublimiori lo-
co positos, quàm ut Terræ luto nos con-
spurcemus. H. Euge, euge Turbo meus!
quàm triumphat, & exultat! peream si
non hac ipsa die ex te audiero, mole-
stum illud tuum heu mihi! heu mihi!
Sed ut restuæ sunt, facilè ex quisquiliis
capiunt voluptatem, ab apluda dolo-
rem. Ego abeo. L. Comitemur
cum, ne se suspendat. B. Ea-
mus. Nam Cœnæ ho-
ra est.

SCE-

SCENA V.

Harlequen.

Salvete spectatores, quos ego nunc primum intueor haec occupatio- nibus prohibitus. Phy, quæ turba? an me agnoscitis? an scitis nomen? Patriam? Parentes? Vitæ genus? Ego Harlequinus sum Turbonis Minister, turbarum socius, turbinum executor.

Per varios casus, per tot discrimina rerum,

Veni ad vos, ut si quis inter vos, qui Turbonis mei cerebrum curare aufit, prodeat, & artem suam meis artibus commisceat, jam Logicus est, Rhetoricus, Mathematicus, Politicus, Historicus, Aulicus, Peregrinator, Linguarum peritus, Pugil: Nec tamen sapit, & quod tacite pronuncio, quotidie minus. Pudet referre. Intus saltat ut capra, & salit ut Caper, & subsilit ut Capricornus: cum revoco scholasticam vitam, primum caperata fronte syllogismos nexit, & fuit piscator, postea deducta fronte ad ravim declamavit & fuit Circulator, mox orbes

bes circumgiravit, fuitq; tornarius, post
fabulas collegit, fuitq; anus: deinde
Mundū examinavit, fuitq; *Luglins Land*:
insuper aulas inspexit fuitq; equiso ab
eo in Mundum excurrit, fuitq; tabella-
rius, linguas didicit, fuitq; polypus, usq;
dum in rabiem conversus, nunc confi-
tatur, & saltat, ac omnino cuncta amo-
ræ mentis signa profert. Ecce urinam
quàm turbida est, quàm syllogismo-
rum, Astrolabiorum, Mapparum, Po-
liticorum, Nomenclaturarum, Urbium
ac Pagorum plena, illam tamen olim de-
sideratam Sapientæ Arcem non inve-
nio: equidem malè habet, quod velut
affectatâ impietate ejuravit ineptiam
scholasticæ sanitatis, & tanquam virili-
bus vitiis testetur, se ab ea imbecillitate
recessisse, quæ aut Deum, aut homines
timet. Ego morum Magister ei positus
sum, sed nihil ago: optimum est, si per-
petuò subsequar, incidamusq; tan-
dem vel imprudentes in bonum.

Nónne Musicam audio?

à dieu.

ACTUS

ACTVS T

SCENA

Acta. Labella. Ru

Musica

peramihl mea b

am citius fatig

am adaris. L. N.

phuris me judice

am tuarum. T.

regio palatio & d

huac humilem

tuis tuæ est,

topem videas, i

Ego qualis sum

redo, dum meo

labella! cæsum n

es nature conten

na quoc iam com

est. Veneré testo

memor meus in

posset: pars



ACTVS TERTII.

SCENA I.

*Turbo. Labella. Rubella, Harleq;
Musici.*

T. **I**mpera mihi mea bella Labella, nec
enim citiùs fatigabor obsequio,
quàm tu mādatis. L. Nunquam impetra-
bis, ut pluris me judicem, quàm servam
ancillarum tuarum. T. O admirabile!
in tam regio palatio & divinâ formâ ha-
bitare hanc humilem animam. L. Id
liberalitatis tuæ est, ut ubi maximè
laudis inopem videas, ibi cumulatè ef-
fundas. Ego qualis sum, satis formo-
sam me credo, dum mecum acquiescas.
T. Ha Labella! cælum meum! ubi per-
fectiones naturæ contemplor. L. Hæc
Eloquëtia quot jam combussit credulas
virgines? T. Venerè testor, Deam formi-
dabile, hic amor meus integer adhuc est,
nec dividi potest: pars illa, quam tibi
dono;

dono, totum est. L. Somnium credo,
qui enim vigilanti mihi Dii tam sublimē
donum concilient. T. Prima es, cui affe-
ctum meum sacrifico, erisq; si velis ulti-
ma, quæ possideat. L. Eloquentia tua os
mihi obsignat, & æternū silere jubet.
T. Imò liceat mihi vel semel affectum,
detegere, & cogitationes: postea si ita
videbitur ad æternum me condemnabis
silentium. L. Ne aperias quæso secretū
tuum, nisi tam expediat iis tacere, quā
audiunt, quam tibi, qui offers. T. Secre-
tum meum, vorum est, spes est, anceps
vitæ fors. L. Itane optare soles? T. Opro-
me felicissimum. L. Prudenter, sed si fors
vetet. T. Tum Mortem eligam: nam
quod voyeo Vita est, & mortem dare
potest? T. Quæ illa crudelis felicitas est?
T. Major est, quàm lingua mea nominet.
Suspiria mea, lacrymæ, singultus pallor
sint mentis meæ interpretes. L. Nihil
est quod impetrare non possis, si hoc os,
hi oculi, hoc compositum corpus petât.
T. Tuum est, ô Labella bella, dare & ne-
gare, sed negare tuum non est ô bella,
quæ occidere non didicisti. Et dare tuum
non est, ô bella, quæ venerem nondum
habet

habes adeo crudelem, ut sordidi homi-
nis precibus tangaris. Verum quod adeo
infelices sunt mei amores, ut finem nisi
mortem polliceri non ausint, nec minus
interea cor meum assant, ac torrent, ec-
quid clementius feceris, quam me peri-
re manu mea jubeas. Nam mandato tuo
suaviter moriar. L. Imo mortem tuam,
desidero, ut ex augustissima corporis tui
sede, ad hanc cordis mei deformem ca-
sulam demigres, vivaque hic, postquam
splendoris te cædet, ad nutum ac placi-
tum. T. Egone immigrem? O Salve be-
atum hospitium suaviorum, basiorum,
receptaculum! Sed qui aperiā hoc
corculum? L. Jam pater. T. Age, tuum
hoc est, quicquid apparet, tuumque erit,
quod nondum apparet, tibi Vitæ necisque
potestas in me data esto. L. Itaque peto.
T. Quid imperas? L. Amorem tuum.
T. Vah illud tuum mancipium! sed ac-
cipe. L. Isti Harlequin adest. H. Here, ho-
die quidem me dimittes. T. Quo ibis?
H. Non posthac unquam quicquam u-
spiam tibi mecum sit negotii. T. Quid
commisi? H. Tu videris. Nam ab eo mo-
mento, quo cepisti insanire, mihi nec

E dormi-

dormire licet, nec domi esse, nec edere,
nec res meas agere, adeò tota vita mea
hujus meretriculæ servitiis impenditur.
T. Quid ais? impurum caput! H. Nunc
Musici convocandi sunt, nunc saccharũ
& malvaticũ, & aromata comportanda,
nunc flores emendi, nunc literulæ tran-
sportandæ, nunc noctu discurrendum,
Sartor, Sutor, Pellio, Institor, Aurifaber,
universus Mundus tuis amoribus infe-
statur. L. An Zelotypus es Harlequin?
H. ba, be, bi, bo, bu, mihi Rubella jucun-
dior est, quam Labullæ mille. Eam ego
amo, illa me amat, ego osculor, illa
vicissim, & de die nos amamus ac palam
non ut vos clanculum, nec literulas scri-
bimus, sed apertè conferimus, nec sus-
piramus, aut ploram⁹, aut rubemus, aut
murmuramus, aut manibus vel pedi-
bus loquimur, sed plenum amorem lar-
giter effundimus. Nonne Rubella mel-
lea? R. Omnino, sed tamen comptior
es, quàm ante. H. Id decebat, ut adde-
rem hanc corpori meo gratiam, tui
gratiã. T. Et Musici nonne aderunt?
H. Nonne Rubella, Herus meus ineptis-
simè amat: R. Scilicet. Virgini omnia

fua

ria posthabet. *H.* Verum est, nam &
libros omnes abjecimus, & Panurgum
ejecimus, & pecuniam omnem absum-
simus, vobis ut placeremus. *R.* Etiam
pecunias? *H.* turbo quidem ad unum
nummum; mihi tamen quater cen-
tum mille coronatorum supersunt: an-
ne satis? *R.* Quidni? *H.* Et vestimento-
rum tres centuriæ. *R.* rum margarita-
rum quantum satis? *H.* Et equorum bis
mille sesquidem. *R.* Et boum noven-
decim ulnæ? *H.* Et agrorum centum
dolia: an ita commodè tecum vixero?
R. Commodissimè, sed ubi tantas opes
habes repositas? *H.* Hinc inde per terra-
rum orbem. Nec enim Princeps facile
est, qui non armenta mea, & greges,
& cohortes alat. *R.* Verum si me duxe-
ris nonne in unum coges? *H.* Vah!
Rubella; mea stella, cum me habueris,
omnia habueris, modo ne sim cocu. *R.*
Euge Symphonicos! *T.* tandem. *S.*
In tempore venimus, quod rerum est
optimum. *T.* Nunc mea Labella rela-
xabimus animum, ut à curis liber de-
volitet. *H.* Optimè, turbo. Nam hæc
infanorum libertas est, cum vincula
dirupe-

diruperunt. T. Quid tu? H. Perge, proficimus. Nam saltando currendoq; ad illam tuam Sapientiae arcem citius perveniemus, quam eundo. T. Improbalingua! Sed quid vos Musici? Salve Labella.

Chorea.

H. Heus Amor, & scelestæ Venus, & nequam cupido, si nihil mihi aliud dabitis, quam hanc defatigationem & noctes infomnes, & picta corcula, & lamentabiles cantiunculas, & tam molestum fervitium, Ego quidem hac horâ vobis renuncio, & ad me redeo. Turbo verò meus, quò perrexerit ulterius, eò clamabit fortiùs: heu mihi! Ego abeo. R. Holla Harlequin opes meæ, dulcedo mea! H. Nihil impetras. T. Euge Nobilem Amorem! quam nunquam ingreditur animam sordidam. L. Euge ingeniosum amorem! quam exacuit animi dotes. T. Euge politum Amorem! quam totum corpus ad elegantiam componit. L. Euge Humanum Amorem! quam jucundæ conversationis cunctos modos profert! H. Euge Asininum amorem, quantas vobis auriculas imponit! T. Ecce infidia-

fidiatorem! L. Nobis verò imprudentibus tempus præterit. T. Itane? L. E- quidem jam dudum sollicita sum, qui me excusam domi. T. Vah Amor eloquens simul est, ac acutus. L. Quid si vapulem? T. Tum plagæ, meæ erunt. L. Ego tamen fortasse citius corpore sentiam, quàm tu imaginatione. T. Ah Labella, nescis tu quanta sint animæ tormina, tu sanè si amares, nec verbera, nec plagas, nec vulnera sentires. L. Itaq; amabo, ut mitius habeam. Sed abeundum. T. Iamne? L. Imò dudum. T. Navem oportebat hunc locum esse, quo unâ pergeremus, quocunq; liberet. L. Ah, quàm brevi te tæderet tam invisæ comitis. T. Quid? dum viveres, non lato ungue discederem, & morientem quod nolit Deus, non mori sinerem in comitatam. L. Jámne me dimittis? T. Quo? L. Domum. T. Heu molestam domum! quam excoror, nisi cum domi es. N. Labella. L. Iesus vocor. T. Ah infelicitatem! Mus. Quid nos agimus? Alt. Quid? Nisi abeamus.

E 3

SCE-

SCENA II.

Armenius. Brandon.

A. HO, ho Aleman, amare non ita
 expeditum est, ac credis, nec si
 vivo, habebis ineptias tuas interturba-
 ras. **B.** Verùm Labellæ quid venit in-
 homintem, ut amores suos conferret in
 minem nescio ubi sordidè natum. **A.**
 Dicam quod judico. Germani nimium
 simplices sunt, & paucis quod summa-
 rei est aperiunt, nec ita ut nos anxie tor-
 quentur, postea rerum suarum prodigi-
 sunt, ea res vicit Labellam, si verè amat.
B. Imò ajunt, illam nihil dissimulare, &
 meditari cum ipso discessum. **A.**
 Tum mihi Venus, & Mars amator irati
 sint, si patiar illam meam, quam du-
 dum colui Deam, me etiam consentien-
 tē abduci, ac de tantis affectibus meis
 triumphum haberi. **B.** Hæc Amoris
 schola est, primum abblandiri, & lata
 atq; Regiã viã intromittere, postea si
 pergas, scopuli meri sunt, & præcipitia.
A. Aut fallor, aut deiiciam hominem
 barbarum, cum ille se credet stare loco
 firmissi-

firmissimo. B. Potius valedicas his amoribus, quæ vel hac levitate tibi nauseam facere possunt. A. Illud potius quæro, qui hanc levitatem vindicem. B. Etiam Labellæ insidiaris. A. Vix potero Turbonem lædere, nisi etiam illam tangam. B. Quid meditaris? A. Tibi ego hoc credam. Ecce has literulas. B. Ecquid sibi volunt? A. Primum conjuro fidem tuam. Sed quid dubito? B. Miror. A. Inspice subscriptionem. B. Labella est. A. Benè Audi dum legam.

Osculum.

Scito Cor meum, et Corporis possessor, in-
eptum illum Germanum penè esse devictum.
Jam cæcus est, jam surdus, jam mutus, jam
insensilis, nec superest, nisi ut deplumem,
mittam in malam crucem. Unum me
male habet, quòd genas meas, tibi debitas,
olido ore nonnunquam contaminat, sed so-
latur, quòd ere suo nobis emit gaudia, sibi
risum. Exigua mora superest, cum de eo
plenè triumphabimus. Salve Cor meum
à Corde tuo.

E 4

Label.

Labella.

B. Obstupesco. A. Quid ita? B. Puellæ scelus, & malitiam. A. An id non licet, cum stolidus hircus nec commodis, nec iratis verbis abigitur? B. Jam te miror, qui possis amare hanc bestiam. A. Ne maledicas. Labella has literas nec vidit unquam nec legit, nec fortè ei venit in mentem. B. Quid fiet tandem? A. Vah simplex! has literas ego confeci, ut incidant in manus Germani. B. Nimum amat, non movebitur. A. Quàm Amoris imperitus es, *nemo faciliùs iram concipit, quàm amans.* B. Sed jocum interpretabitur. A. Non potest. B. At credet plus Labellæ verbis, quàm literulis, os testem habet, quid opus ei manu? A. Sine agam, Ecce tibi alteras. B. Cujus? A. Alemanri. B. Lege.

S. P. Quod de Labella suspicaris Amice frustra est, non enim Conjugium quero, sed voluptatem: illa mihi visa est condigna quæ lucret scelera, aliàs Germanis illata. Nunc ubi primum extorsero aliquid laboribus meis respondens, dimittam eam talem, quæ neminem ultra amet. deleboq. si hæc literæ non sufficiunt, ipso opere tuam diffidentiam, Vale & papyrus quàm primum Vulcano immitte. Tur

Turbo.

B. Vah lividas literas; credo non atramento, sed felle scriptas. A. Sed nonne idoneum tibi viderur, ad dividendos illos, si uno tempore has uterq; legat. B. Nondubito. Sed opus est homine circumspecto. A. Talem ego te judico. B. Obsecro te, mihi negotium tam infame ne committas, A. Quid infame? ubi primum Germanus hinc abierit, quis erit, qui literas examinet? B. Sed Pater Labellæ si resciscat, quàm indignè filiaë impositueris. A. Vah meticulose, quid si Cælum ruat. *Nulla sunt consilia magis audacia, & felicia quàm amantum. Venus non est observans legum, Satis est; amor jubet, amor audet, amor præstat.* B. Periculosum est. A. Quid ego te agnoscam amicum, si res meæ sint omnes planæ, turæ, expeditæ? B. Si ad amicitiam provocas paratus sum, sed *eiusdem amoris est, præmonere de periculo & in periculo adesse.* A. Atqui hic nisi fides desit, nihil est periculi. B. Trade mihi literas, & reddam expeditum. A. Euge generosum animum, hinc est, quod me tibi concredidi. B. Curabitur, sed alteras an retinebis tibi? A.

E 5

Mihi

Mihi illæ curæ erunt. B. Sed velles
quamprimum expeditum? A. Quidni?
eamus. B. Iro.

SCENA III.

Harlequin.

H. **Q**uod comptior nunc sum, mirū
ne sit, hæc Amoris prima nota
est, nescivissem me formosum nisi amā-
sem. Equidem cum illa mea Rubella
nunc oculos mihi collaudat, nunc na-
sum, nunc auriculas, mox barbam, vix
mihi tempero à fastu. Oporteret mea nunc
omnia nitere, & esse exquisitissima, in-
cessum exactum, pedes decenter positos,
manus & brachia regulas suas habere,
omnia ex tabulatura, quoniam amo, o-
culos, & annuentes, os sibilans, manus
gesticulantes, pedes leviter prementes,
& quid opus est verbis? universum cor-
poris alphabetum, & mutam linguam
debet fervire meis amoribus. Sed audi-
te: etiam Poëta factus sum, & rebellem
bellam Rubellam accuso simul & excu-
so, condemno & absolvo profectò ju-
cundis.

eundissimã inventione. Sed vos concu-
piscitis? ha bene est, expectate, dum à
multis ingenii mei monumentis inqui-
ro Euge legam vobis, sed sub silentii
fide, &c.

1.

Rubel wist mi/ seit sie Ja/
Ha he hi ho hu Ju/ da da da.

2.

Rubel kanst wil/ seit sie Ja/
Fleisch fleuden fleich/ fleich id dich sah/

3.

Rubel gselst mir/ seit sie Ja/
Guck guden guck guck/ kom mi nah.

4.

Rubel ist gern/ seit sie Ja/
Bos boden bos bos/ Ich wird blau.

5.

Rubel hast nichts/ seit sie Ja/
Ey enden/ ey enden/ machst mich grau.

6.

Rubel leid dich/ sage sie Nein/
Au auden/ au au/ Ich muess hetm.

Et alia plura, quæ excellentissimè pos-
sunt exprimi pedib⁹, cum magna vestra
gratia. Sed quò minus saltem, Turbo
impedit, cui per totum diem & inte-
gram

gram noctem discurrendum est, itaque
quod bonâ vestrâ pace fiat, non saltabo.
Jam arcanum vobis alterum aperio
prandebimus.

S C E N A IV.

Brandon. Turbo. Harleq.

B. **Q**uas ego hîc literas gero, literæ
non sunt, sed lapides, pugiones,
milites, quib. ego Germanum illum ita
delebo, ne quis unquam gloriatur, Gal-
lo impunè ereptam amasiam. Sed hîc ad
fores Labellæ stabo, ut quamprimùm,
prodibit Turbo, hîc me observet, &
has meas literas. T. Tu mensam instrues
interea, dum ego adduco Labellam me-
am. n. Nihil est, quod agam prompti-
us. Nam labor hic mercedem habet
comitem. T. O Amor, nimium prom-
ptus mihi es, adeò ad nutum mihi cuncta
veniunt. Amavi, redamavit, petii impe-
travi, vocavi, veni. Non osculum est,
non suavium, non basium, quod mihi
denegetur. Sed quis egreditur hac? B.
heu mihi! Germanus notavit literulas?

T. heu

T. heus tu, quid fers? B. Nihil. T. O sce-
lus, non negabis mihi, oculi mei indices
fuerunt. B. Quid id tuâ refert? T. Per-
magni, si nescis. B. Nemône hic ambu-
labit, nisi sub tuo arbitrio? T. Imò & e-
xamine mastigia. Quid est quod occul-
tasti literas? B. Sine me. T. Non ita, uti
credidisti, monstra. B. Quid tibi juris
est in has literas? T. nem tibi scelesti! B.
heu mihi! T. Sic agam, vapulabis simul,
& perdes literas. B. Obsecro te. T. Nihil
agis, hem optimè eripui literas. B. heu
mihi! non ausim redire in conspectum
heri mei. T. tu videris, abi in rem ma-
lam. B. In ea quidem tu es. Si ipsa adju-
visset Fortuna, non expedivissem nego-
tium fortunatius. T. Immortalem De-
um, Labella scripsit, hem quid scribit,
aut cui? holla! ah! styx, phlegeton, tren-
tediables, furiaë infernales! harlequin?
H. Quid est? T. Apage te hinc. H. Reli-
quisses me ibi. T. heu, heu, heu mihi! H.
Iterum heu mihi! jam tempus non est,
potius Euohe. T. Apage, apage ne ap-
propinques mihi. H. Libenter, visne ca-
tenas adferam, quibus constringaris? T.
Scelesti. H. Aut laqueum, cui collum
indas.

indas. T. Nebulo. H. Aut'culeum, cui
includaris? T. Heu, heu, heu, heu mihi!
heu aeternum mihi! H. Noli, nimis lon-
gum foret. T. O scelus scelesti, nebulo,
trifurcifer, cacodaemon, bestia, belial,
quid impedit ne te discerpam? H. Quid?
illud quod non nimium appropinquo.
T. Amove hoc ipso momento mensam,
mappam, scabellum, panem vinum, om-
nia. H. Atego esurio. T. Heu infelici-
tatem meam! heu dedecus! heu levitate!
heu credulitatem! heu fidem! dormio-
ne an vigilo? ah vigilo? suntne haec literae?
non sunt, non sunt, heu mihi sunt, sed
spectrum scripsit. Labella non scripsit.
Labella fidelior est, heu scelesti Labella!
egone visus sum tibi, quem simulato a-
more occideres? qui submergeretur la-
crymis? suffocaretur suspiriis? conflag-
raret artificioso igne? O mores, o puel-
larum retia! H. Visne maledicam mulieri-
bus? T. Amove te. H. Quid? deplumari?
emere aliis gaudia: ire in crucem. T.
Vah Turbo, Turbo, quis oculos tibi ob-
signavit, ne animadverteres amicum la-
trocinium? O Labella quid cogito, male-
lit mihi, tuum pectus tam candidum,
tam

tam calidum non habet has atras maculas, hanc gelidam glaciem. Ego, ego deceptus sum, tu non decepisti. Quid non decepisti? Ecce literas, manum, sigillum, terram peregrinam, mores alios. Quid hæsitas Turbo, & effundis maledictionum mare? Sed heu, heu, heu mihi! Væ misero mihi. H. Si ita pergas & tuas impedis nuptias, & quod caput est rei, meas. T. Non ego me vindicabo, & quod apud læsa potest, non potero? Gaudebitne illa semper in gentis meæ opprobrium? Non gaudebit, & quod bona mea fortuna detectum est mihi, id malæ ejus, exhibit in caput scelestum. H. Non ergo prandebimus? T. Abi. H. Atqui ego prædixi his, futurum ut pranderem. T. Deum provoco iratū mihi, si &c. H. Ille abiit. Hæc sunt amoris donaria, mihi quidem hætenus dum amavi jucundum nihil fuit, nisi ineptia. Sed ibi jam sum, ubi progredi & regredi eadem via est, ejusdem longitudinis. Ego quid agam nescio, quidve mihi eligendum. Abstinuisse præstitisset, sed quod semel factum est, qui corrigam?

Com.

*Consulte in medium, dubiisq; occurrere
rebus.*

Ego interim abscedo.

SCENA V.

Labella. Rubella. Harleq.

Quid dicam aut cogitem, quod tur-
bo nuspiam est? R. Id quidem,
haud crediderim, saltem tecum non est.
L. Nescis tu? *amantium corda locus sunt,
ubi amantes animæ habitant, ibi si non sunt,
nuspiam sunt.* R. Monstra mihi ergo tur-
bonem, si intra te geris. L. Utinam pos-
sem, intuereris Regem, qui totus ac ple-
nè imperat, & membris meis, & affecti-
bus, & cogitationibus. R. Non video. L.
Ah suavis idea est, quæ pervolat cor-
pus meum, deliciis, facetiis, gratiis. R.
Equidem verè amas? L. O Rubella cùm
vinceris aliquando ab Amore, tunc hanc
linguam intelliges, jam verò nec crede-
re potes, nec ego ausim id à te exigere,
hactenus quidem in vita tale nihil fensi:
& memini quàm olim ipsa, securè simul,
ac imperitè de amore sim prolocuta.

Emi-

Emigrare scilicet oportet omnia reli-
qua, ubi amor ingreditur; ille occupat,
ille jubet, ille impellit, nunquam cohi-
betur. R. Quid? etiam arbitrii liberta-
tem adimit? L. Vah arbitrium, ubi ho-
mo se exuit, ut induat alterum, nec Do-
minum amplius agnoscit, nisi amicum.
R. Hera ecce literulas. L. Tolle. R. Acci-
pe. L. O Turbo est, jam ero certior, ubi
deliteat, hem; itane? Vah nihil agis, soli-
dior sum, quam me hoc tentamine dei-
cias. Hem! quid illi venit in mentem?
non sic agier oportet inter amantes. R.
Quid est? L. Turbo lusit, sed aliquantum
agrestius, nolim in alienas manus venis-
sent. R. Itane? L. Simulat se simulare a-
morem. R. Fortassis! L. Inepta, non po-
test, totus mihi patet, sed secutus est ma-
lum consultorem. Vah astutias homi-
num, itane adeò invisus est constans ac
fidelis amor sceleratis. R. Quæramne
eum? L. Non, fingam enim me offensam
esse ipsius imprudentiâ. R. Non verò tan-
geris? L. Ego? ah omnes humanæ viris
imbecilliores sunt, quam nos dividant.
R. Me verò malè habent hæ literæ: aliud
promerebatur candor tuus. L. Ecce

F

harle-

Harlequinum, ab eo sciam quid Turbo-
ni meo acciderit. H. holla belles dames,
habetisne literas? L. Habeo. H. Bene
est, ita voluit herus meus, ut resorberetis
vestrum vomitum veneficæ sacrilegæ,
scorta, perfidæ. L. Quid hic ait?
H. Euge Heri mei pulcellam Conjugem,
meam heram, bellum Turbonis cõem-
ptum mercimonium! L. Tene me. H.
Depone fraudes. Nam desierunt tibi ef-
fẽ utiles. R. Impurum os, latro, homi-
num excrementum, unde tibi hæc lin-
gua maledicta? H. Satis est. Ipsa Fortuna
vos prodidit, ne exequeremini vestram
malitiam. L. Ah me miseram! H. Tum
eris, cum Turbo effundet iram suam,
quam bono consilio habet concẽptam.
L. Nisi me conjecturæ fallunt, imminet
nobis prægrande malum. H. Mihi qui-
dem id aperire non licet, quia Herus
prohibuit, sed hac nocte à Turbone va-
pulabis. L. Vapulabo? Nescio ubi sim,
heus Rubella. R. Quid est? L. In aurem
aliquid. H. ha ha, consultate, erit ubi pã-
nitebit provocatam Harlequini iram.
L. Quid cogitabo? hic scelestus nescio
quid meditetur. R. Salva res est, non in-
veni-

venient imparatas. L. Heu! quàm con-
fictatur Amor meus cum tanti facinoris
odio. R. Domi si placet hæc mihius di-
scutientur. L. Fiat ita.

SCENA VI.

*Turbo. Famulus. Harleq. Alexius.
Bxandon. Aliqui.*

T. Sic agendum est, credo tibi Fortuna
invisa, ac meis partibus semper ad-
versa, sed vel fugiens referiam. Egone
dicar delusus, & ut sæminæ planctu sal-
tem vindicabo injuriam? Sed dissimu-
latione opus est, contra simulantem. Tu
puer, jam equi dispositi sunt? F. Sunt.
T. Et harlequinus ubi? F. Res suas col-
ligit. **T.** Tum valedicendum est scele-
ræ, ut optet nunquam fuisse se saluta-
tam. Nam ubi primum admissus ero, au-
feram, quæ videbuntur, ac cum verberis-
bus dimittam. Audax me hercle consiliū
& germanū sed rectum est, & ad exem-
plum illius, harlequin verò ubi? F. har-
lequin. **B.** Adsum, adsum. **T.** Quid mo-
raris? **H.** Quia non lubet illuc ire. **T.**
Non? **H.** Non ædepol. **T.** Non te
offendit illa, non vindicabis? har.

F 2

Certè,

Certè, sed vellem pro me alius quispiam
iret, latis humeris, fortis manibus, pedi-
bus celer. Vah, ad fœminam ire trepidas?
H. At illa jam unguës exacuit. T. Eamus.
H. heu Turbo, tu turbabis omnino, quæ
turbata nondum sunt. T. Eundum est.
Tic, toc: Aliqui: Quis pulsat? T. Aperi.
H. Mallem clausum. T. Ego sum. Al. Ne-
mo domi est. H. Utinam! T. Mentiris.
Tic, toc, tac. Al. Quid tu tibi vis? H. Rem
malam. T. Quin tu aperis? Tic, toc, tac.
Al. Orant te qui hîc sunt, ut quamprimû
discedas. T. Vah impudentiam! quos e-
go amicè volo conventos, ita excludunt.
H. Benigni sunt: Turbo, abeamus. T.
Non feram. Tic, toc, tac, Aliq: Abi. ha-
abeamus. T. Non faciam.

profluunt aliquot homines.

A. Quid tibi juris est, impure homo in
has fores, ut hac violentia ferias. H. Heu
Turbo id est quod dixi. T. te quidem e-
go haud quæsiui. H. Sed reperisti. A. Tû-
ne huc accedas scelesto animo, ut nostræ
urbis virginibus dedecus adferas? H. Imò
adferebamus munuscula. A. Quæ tu ar-
ma habes sub veste recondita, itâne a-
matur? T. Quid mihi tecum est? A. Et
quid

quid tibi cum virgine est, meâ cognatâ?
T. Abeamus *Harlequin*. H. Si huic placeat. A. Verberate scelestum, tundite, rapite. T. Perii. H. Hu, hu, hu, hu, A. Vapula nebulo, qui in fontibus es malè minatus. T. Heu mihi! H. turbo nonne heu mihi! B. Vapula ob literulas. T. Vah. A. Vapula ob infidelitatem. T. Ah! B. Vapula ob tecta arma. T. Væ mihi Al. Vapula propter contemptum nostrum. T. Heu. H. Satis est, meo iudicio. A. Vapula quia peregrinus es. Al. Vapula quia sciolus es. B. Vapula etiam meo nomine. A. Et meo. B. Et alterius cuiusdam. A. Dimittite verberonem, ut quamprimû hinc discedat. H. Id quidè promptiùs faciet, quàm hîc manebit diutiùs. Valet. B. In crucem malam sceleste. T. Ibi jam sum. A. Sic dabitur, si quis nostris puellis posthac insidiabitur. B. Intra citò, ne quis motus oboriatur.

ACTV QVARTI.

SCENA I.

Harlequin. Beger.

Sine scitis, rediimus domum cum insigni illo, quod vidistis, viatico: jam o-

F 3

mnes

omnes circumstant. no. harlequin Salve,
salve harlequin., gratulor de reditu;
profecto exeundum mihi domo fuit, ut
liceret vobiscum colloqui, qui laboris
mei & itinerum & periculorum estis tes-
tes. nota harlequin quid tibi viderur de
Lutetia? estne ampla? estne lutosa? an.
homines ibi multi sunt? Nugæ, nec libet
respondere, non benè ibi habui. Jam et-
jam examinant; inspexisti Castella? quæ
hic aut ibi Respublica? quæ leges? qui ho-
minum mores? quæ studia? Vah quid di-
cam? homines ubiq; pessimi sunt, ac ine-
ptissimi. Missum me facite, non licuit
mihi ibi curiosum esse: egi quæ hic ago,
vidi quæ hic video. Mundus alter & idem
est, nisi quod ibi carius vivitur, & mise-
rius, & scelestius. harlequin quid appor-
tas mihi? ecquid emisti rari? apage, nihil
insoliti præter scabiem habeo, & men-
tem meticulosam, ita toties exterrefac-
tus sum. Sed Turbo omnium pessimè
habet, nam ubi primum prima saluatio
deserbit, jam omnes inquirunt, & exa-
minant an benè tot nummos infumserit.
Scelesti homines plus scire volunt, quã
nos, & ubiq; nobis urbes describunt.

Metuo

Metuo ne clanculum ibi fuerint. Sed no-
vum. Turbo meus totus ignitus factus
est, & ædes habet omninò ardentes, flat,
sufflat, inflat, perflat, spirat, ac fumigat,
non secus ac ipse Diabolus. Sed Præce-
ptorem habet, longè fuliginosiore. Ex
averno oportet esse. Nam qui multas
linguas loquor ac intelligo, non tamen
ipsum capio. Characteres habet inusita-
tos uti Chineses, & imaginibus pingit
uti Egyptii, & per numeros loquitur u-
ti Arabes, & vocabula monstrosa habet,
Azoth, Martek, Kuhul, Alkibric, Zanda-
rich, Muhal, anne intelligitis? non dubi-
to, quin Diabolorum nomina sint: Sed
ecce illum ipsum, vos audietis nostrum
eruditum colloquium

Quid non mortalia pectora cogis,

-----Auri sacra fames!

Holla heus Auri-pater! B. Lapis iste est di-
versus ab omnib. lapidib. in naturis suis,
& perfectione suâ, & susceptione nutri-
mèti, quia est de semine Mundi, multam
habens benedictionē. H. heus flabellū. B.
Nisi aurum ponas in aurum, nihil habes,
quoniâ magnum non est in parvo. H. Ec-
ce Ecstaticū adeò occalluit hoc hominū

F 4

genus₂

genus, ut nisi verbera addantur, verba,
non curent. B. Visitetis interiora terræ,
rectificando invenietis occultum lapi-
dem, veram medicinā. H. Hem tibi for-
nicator! B. Quid tu tibi vis bestia? H. Ut
vivit Mirjam, Mosis soror? B. Quid? H.
Aut mulieres quid operantur? B. Pecus?
H. Et pueri ane ludunt? B. Unde tibi hi
sarcasmi? H. Et illa turba, quid turbidi
turbat? B. Scelestu tu omninò mihi inter-
turbasti subtilissimum processum, qui
absq; dubio imposuisset meis quæsitis
finem. H. Procede, procede à processu
chymico, ad processum fori, donec pro-
cedas ad patibulum. B. Abi putamē. Vali-
cum Rex meus satis lotus, satis purgatus
& comtus satis, cum Regina habebit nu-
ptias, quam ubiq; subtilient procreati
mille milleni minuti Reguli? Sed Dra-
colille! hem. H. Illéne, qui vitra tibi o-
mnia confringit, & vasa diminuit, & for-
naces dirumpit, & cerebrum evacuat?
B. Quin tu ad tua abis? mihi id curæ erit.
H. Hem lixa, quando elixabis elixir. B.
Scelesta lingua. H. Vis ne insignem ryth-
mum de Alchymia?

Illæst Ars sine Arte,

Cujus summa pars cum parte.

Cu-

*Cujus Mater Otiari,
Cujus verba sunt nugari.
Cujus votum denigrari,
Cujus fama annotari.
Cujus proba est mentiri,
Cujus via impediri.
Cujus labor est inflare,
Cujus fructus mendicare.
Cujus finis desperare,
Cujus merces nusquam stare.
Cujus pana est perire,
Et in cruce interire.*

na, ha, ha! habesne aliquid in Laudamus
B. Tace. H. Aut in Azoth. B. Tace. H. Aut
in sylvestrem penacem. B. Tace. H. Sed
in Geberianos, qui dari sibi volunt non
dant: nihil dant, omnia auferunt, ut fiat
divites. B. Vale, mihi non vacat ruis ad-
esse ineptis. H. heus cum superius erit si-
cut inferius, & inferius sicut superius,
perpetrabuntur miracula rei unius, ha-
bebisq; non lapidem, sed prægrandem
petram. B. hæc Ars est cara, brevis, levis,
quoq; rara. H. Ille abiit, spectatores. Cum
hunc hominem intueor, videor mihi sa-
pere, nec credidi posse aliam addi in sano
Turboni colophonem nisi hunc, hoc fu-

F s roris

roris fastigium est, resipiet, haecenus ascendit, jam descendendum est. Ecce tam anile & ridiculum nihil est, quod non credat, & mox veluti adfuerit ipse, iuramento confirmat, nihil tam sordidum, tam periculosum est, quod non tentet, nihil tam laboriosum & inquinatum, quod non subeat, nihil tam impossibile, quod non speret, Quid ego dicam? uno verbo. Turbo meus Chymicus est.

SCENA II.

Turbo, Beger.

T. Nunquamne animo quiescā meo, & per tot quæsitā non reperiam quietem? Nam quam nunc tracto artem, Chymiam, etsi jucunda est, & nescio quā sublimitate Amatores suos derinet, ita reperio laboriosam & à fortuna pendentem, ut nihil suprā. Beger meus per omnes Diabolos jurat, processum suum optimum esse, expeditissimum, ac sepius ab ipso probatum. Et credibile est: nam rationibus me vincit, & tantas colorum transformationes mihi monstrat, ut nūc secure artis contemptores rideam. Sed tamen trium annorum opus est, si maximē

mē fortuna etiam arrideat, alioquin si
vafa dirumpat, quod nūc aliquoties mi-
hi fecit, differre potest felicitatem me-
am, nō auferre. Ille meus nihil nisi labo-
res habet, unde concludo, meam illum,
commoditatem quærere. Sed sumptus
profecō nonnullos exigit, quid tum?
ferendum est, ut metas, tentandum est
aliquid Jasoni, ut auferat aureum vellus:
tendenda retia, ut capiatur Leo viridis,
Cervus fugitivus, aquila volans, stultus
saltans, Draco caudā absumens, bufo in-
flatus. Caput Cervi, nigro nigrius nigrū
sigillum Hermetis, & lutum stultitiæ. B.
Ubi Turbo? T. Ecce Naturæ obstetricē,
Metallorum Patrem, Auri genitorem,
Sapientiæ & doctrinæ filium, Mercurii
Nepotulum. B. Hem Turbo ubi? T. Me
quærit, holla amice! B. Ha! te quærito.
T. Me? B. Te, ut mero te gaudio suffundā.
T. Effer, si labores nobis successerunt.
B. Aliud est. T. Quid hīc habes? B. An-
reas literas. T. Lēge obsecro. B. gaude
prius. T. Gaudeo ut semper, sed lege. B.
Vide quā tecum communicem omnia
arcana mea. T. Scio. B. Et quas ego solus
possem possidere, opes, tecum divido. T.

Lau-

Laudo te. B. hic ex amicis meis arctiori-
bus quidam scribit rem, unde meritò e-
xultemus. T. gestio. B. Audi. Fuit Mona-
chus quidā in sylva fansbois Chimeron
vocatus. T. Nunquam audivi nomen. B.
ho! celeberrimus est, sed audi, ibi exstru-
xit minutulam casulam, luto Sapientiæ.
T. Quo fine? B. Vah! is conficere pote-
rat lapidem nostrum benedictum, & si-
gillis omnia præstabat, & per specula o-
mnia videbat, & herbas ac fructus mediâ
hyeme proferebat, & cum animalibus
colloquebatur, & exiguo tempore Mun-
dum universum divagabatur. T. Papæ!
B. Amplius, penetrabat montes tanquā
aërem, & ad fundum maris nonnunquā
descendebat, & in igne versabatur, & ad
astra usq; se conferebat, utebatur hoc
Mundo tanquam suo. T. Obstupesco. B.
Quin etiam integros exercitus delere &
cui vellet, nocere, & cum absentib⁹ collo-
qui poterat. T. Enecas me. B. Is jam
mortuus est. T. Qui potuit? B. Voluit, a-
lioquin vixisset mille annos, jam verò
nobis patent omnia ejus, & universa Ar-
tis hæreditas. T. Nobis? B. Nobis. T. Tum
ego nō malè insumsi, quicquid insumsi.
B. Vah!

B. Vah! insumpsi? nihil tibi quærendum fuit, nihil in Sapientiæ labyrinthis errandum, artem repertam hæcenus examinasti, & ab ipso examine paulò post habebis largissimum salarium. Ecce nos immisimus furno 15. ducatos. **T.** Ita. **B.** Jam uti spero prodibunt 45. **T.** benè. **B.** Idq; spatio unius Mensis, si fors adsit. **T.** Scio vasa nî pereant. **B.** Jam altero mense immitte 45. & habebis. 135. **T.** benè. **B.** Tertio Mense habebis. 405. **T.** Euge. **B.** Quarto. 1215. **T.** Optimè. **B.** Quinto 3635. **T.** Rex sum. **B.** Imò amplius vide sexto mense habebis 10895. **T.** Quæso in anno quantum? **B.** Vix ausim proferre. 7939745. ducatorum. **T.** Vah! Quis Regum tantum tollit ex multis Regnis? 7. **Willion nîn sehter zehenthalsen toßen Goldte.** **B.** Jam vide, si primâ immissione fuisses? audacior, nemo tibi in terris fuisset æqualis. **T.** Ego acquiesco hoc anno, in sequentem annum sciam, quid faciendum mihi sit. **B.** Sed pessimum est, quòd tantas opes possidere non licet, nec satis edere, nec benè vestitum esse. **T.** Quid ita? num metu hominum? **B.** Minimum est, ipsa Ars hominem deserit, qui non semper

per alget, & esurit, & pedibus tumet, & fuligine sordet, & macie horret, & laqueum quaerit. T. Quid ita? B. Sic volunt astra, ut qui ditissimi sunt, pauperrimi appareant; sitq; Chymicus, qui
ex alta mortales aëspicit arcè.

Interim Artis tanta dulcedo est, ut facillimè vincat voluptates omnes Mundi, & huic Mundo cogitatione non secus, quàm Reges manu imperant. T. Profectò miserum est, hanc artem velut serpentem esse, cujus caput pulcrum, sed cauda deformis est. Sed nos intermittimus negotium Monachi. B. Benè mones. Is tandè omnem artem suam contulit in unguentum. T. Unguentum? B. Ita; sed mira audies. Quisquis sibi tempora inungit & nasum hoc unguento, videt in aëre omnia quae vult. T. Quid in Aëre videat? B. Vah! Aër vacuus non est, sed velut muscae aut apum examinem circumvolat spiritus, & Animæ, & Ideæ, & quicquid ubiq; est miri. Nec impedit nobis hoc jucundum spectaculum quidquam, nisi oculorum lippitudo. Ea amovenda est hoc collyrio. T. Mira sunt, sed quid juvabit aspectus. B. Ha simplex! alloquedi sunt, atq; ex tanto numero provocan-

revocandi, quos libuerit. Nam si fortitudo delectat, adjumento spiritus evelles arbores effringes ferreas portas, concubabis Exercitus. Sin Sapia, omnia scies, & linguis omnib. loqueris, & libros jam è hominũ memoria deletos revocabis. Sin opes, nihil habebit Natura tibi occultatum. De reliquis idem cogita. De Honore, Pulchritudine, Longævitate; electio tua est. T. Habesne hoc unguentũ? B. Fortassis, sed tu nescis, quanta in me possideas. T. Amo te. B. Tantum potest tempus rebus debitum, & cœlica influxio. T. Crediderim. B. Sanè præ rebus omnib. nobis opus est Calendario. T. Jam habeo. B. Phy. Nihil est, oportet Calendarium esse mysticum, quod nos admo- neat quotidie operationis arcanae. Nam eum Cælo laborandum est. T. Sed unde à Monacho ad te hæc derivata sunt? B. Euge Monachum mihi in mentem revocas. Is per lusum confecit ollam plenã trincturæ ad 15. libras. T. Quid? B. Ecce partem, sed quod dolendum est, prius obiit, quam perfecit. T. Quid properavit, cum licuisset differre? B. Voluit anno Jubilæo mori, atq; die natali. T. Sed hæc trinctura jam

jam nihil est? *B.* Nequaquã: nam exiguum ei deest, quod ego facilimè addam, tu posses, tantulum est. *T.* Quid ergo addam? *B.* hic locus non satis tutus mihi videtur. Eamus in laboratorium nostrum, ibi & hæc scies, & integram historiam. *T.* Eamus quamprimùm.

S C E N A III.

Harleq. Famulus. Chymicus. Turbo.

H. **V**T te scelestè scelus millies milleni sexcenti & nonaginta quatuor, Dæmones abripiant, sceleratissime Cinniflo, qui ætatem meam qua requiescere deceret; igne, fumo, flatibus, & sordibus absumis. *Ha!* quod vobiscum non fui, commodum non fuit, Interea ego miser calcinavi, sublimavi, solvi, putrefeci, destillavi, coagulavi, tinxi. Non sunt inferi tot species tormentorum, quot ego habui laborum genera. Puer? *F.* Quid? *H.* Adesdum, paucis te volo. *Vah!* hominem olim tam bellum, tam jucundum! jam quanta tulit fecitq; puer, sudavit & alfit. Credo vacuum jam intus esse, adeò spiritum omnem efflavit. *F.* Ita *H.* Herus jubet. *H.* Ita insania jubet, An ego tibi fru-

ia: nam exigua
ilime addam,
Quid ergo ab
cucus mihi vi
rium nostrum,
m historiam.

III.

ms. Turbo.

illies milleni
ta quatuor
eraticissime Cl
a requiescere
is, & sordibus
cum non nisi
erea ego mifer
putrefeci, ab
Non sunt imi
am, quor ego
uer? F. Quid
lo. Vah! homo
am jucundum
uer, sudavit
intus esse, ab
t. F. Ita H
pet, An ego

frustra Præceptor datus sum, & patiar
perire tam nobile ingenium? F. Quid fa-
ciam ornatissime Dn. Præceptor? H. Sic
places, sic fieri decet. Exempla videris
Messieurs perfecti Præceptoris, & exacti
discipuli. F. Colende Præceptor, rogo
veniam exeundi mictum. H. Exspecta,
paulo post ibimus unà. F. Colende Præ-
ceptor, rogo veniam eundi sufflatum.
H. Exspecta, paulo post sufflabimus una.
Messieurs tanta mea cura est hujus pue-
ri, ut nunquam solum quid agere sinam,
semper adsim, semper opem feram, sic
debet. F. Colende Dn. Præceptor hic suf-
fla prior. H. Scelestes puer, jam peribis.
Hem Nebulo! non ego te apprehendam.
F. Jam verberandi tempus non est. H.
Exspecta, ego tibi manibus faciam stratum
super stratum. T. Apagite stulti.
Quid vos hic? ad labores, intrò velocis-
sime. Annon ego mortalium, qui vixit,
qui vivit, qui vivet, felicissimus? ha! non
contineo me, quin subsiliam. Quis est,
cui uno tempore tantæ ac tot contige-
runt opes; Sapiencia, Felicitas. Illud est,
quod semper appetii, propter quod ani-
mus meus nuspiã subsistere, acquiescere
G nuspi-

nuspiã potuit. Huic reservabar gaudio,
hanc mihi fata parabant gloriam. Quid
dicam? aurum facio, quã volo quãtitate,
minimum est: morbos pello omnes, &
perpetuã sanitate vigeo, minus est. Na-
turæ sinus omnes recludã. Nam clavem
hic habeo, & inspicio hominibus absco-
dita, parvum est. Sed quod huic orbi do-
minabor, & cum aëreis conversabor, &
superiorum corporum aut hospes erò,
aut incola, id deniq; magnum est. Mirũ
est, hunc mihi esse hominẽ conciliatum,
qui nihil non arcani mecũ dividit. Nunc
præmissi illum ad Chimeronis hæredita-
tem, cum aliquot centenis coronatis. Ille
mihi reliquit pixidem plenam tincturæ,
thesaurum inexplicabilem. Hæc est illa
hora, quã me video majorem, quã ut
fortuna amplius jactet, aut turbæ turbet
Turbonem. Evax! Sede turbo in folio
tuo, & conscende Felicitatis thronum, &
contemplare repêtes circum te animas,
despice eos, qui te despexerunt; ride, qui
te riserunt, ha, ha, ha, he! rides me, ma-
gis rideo te spernis me, magis sperno te.
Domum eundum est, ut contempler o-
pes meas.

SCE-

SCENA IV.

Prudentius. Fabius, Harleq. Haspellus.

P. E Go quidem de eo semper plura, vel sanè alia sperarem. **F.** Nescio equidem quid mihi judicandum, illud quidem animadverti jam dudū, in ipso esse ingenium vagabundum, curiosum & malitiosum, quæ sanè tria videntur mihi illum hætenus exagitatæ, & hos cõstruxisse ei labyrinthos. **P.** Sed interin errorum crassitiem miror, illumq; iis demersum, cum alioquin in dijudicandis rebus haut sit ineptus. **F.** forrè quia sibi relictus est semper, nec habuit amicum fidelem imprudens in sua retiã incidit. **P.** Ah longe erras: plus millies avocatus, admonitus, & ad plenam insidiarum detectionem admissus est, sed id habent curiosæ artes proprium, ut amicum amplius nulum agnoscant, neminem audiant, & quos prius habuerunt conjunctissimos, fugiant. **F.** Verùm ipsæ fallacię ingeniosæ haut sunt, & plerunq; pueris & plebi ridiculæ, tum historiolæ ipsorū usq; adeò aniles usq; adeò incredibiles sunt, ut mirum sit, hominem tantum cerebri sanioris,

nioris, illis posse circūduci. P. Ego mor-
bum judico, & rem plurimā comiseratione dignam. F. Unde rerum incertarū,
quibus torquentur, catena & infinita somniantium deliria? P. Meo iudicio, ex cō-
tempu omnis consuetae literaturae & ficticia illa clave, quā alio longē modo Naturam rerum aperire satagunt. F. Ecce Harlequinum alterum Mercurium, ex eo resciscemus domus artificiosae arcana. P. Ingeniosissime Harlequin. F. Auree Harlequin. H. Non vacat. P. Obscuro Harlequin. H. Magnum est, quod voluto. P. Ornatissime Domine Magister Harlequin, quāso ne deneget nobis tuū colloquium. H. In forum mihi eundum est. F. Quid acturus? H. Cretae mihi emēdā sunt octo librā. P. Quid crete? H. Vah! ad computandum diem novissimum. F. Hem illud erat, lapis. H. Ergo mittite, sed heus! P. Quid est? H. Pictore mihi opus est. F. Ad pingendos numeros. H. Inepte. Serpentes mihi pingat, & Ceres, & Behemoth, & Menethekel, & Rutubam, & coronas, & quindecim Hierosolymas. P. O Harlequin, quā jam sublimis es scientiā! H. Sic decet, & Naometria id fecū adfert.

adfert. F. Quæso intus quid rerum geritur? H. Omnes computant quolibet angulo, per cruces per armillas, p angulos, per soles, per lunas, per serpentes, per circulos, per angelos volantes, per coronas, per columnas, per candelabrum, per libram, per arbores, per gladios, per laqueos, per dentes, per cometas, per ova, per pisces, per rubos, per clibanos, per mitras, per cuspides, per 7. foramina, per lagenas, per Aquilas, & Leones. Sed me jam dimitte. P. Si placet, Harlequin, nobis benefacere, subsiste aliquantulū. H. Sed non licet. F. Saltem dic nobis, quid computatis? H. Scripturæ dicta. P. Ha, he, he, ! H. Tu rides Asine? Valere. F. Tu offendisti hominem. T. Non putarā, sed quid coniiicis illos agitare? P. An nescis? F. Equidem. P. Hæc illa Naometria est, de qua tibi nuper: illud humani ingenii admirabile. F. Quid quærit? P. Miram temporum triplicitatem, & typum rerū præteritarum triplicem. F. Quā harmoniā. P. Illi viderint, mihi vix licuit numerorum aliquot appellationes exaudire. F. Habentne alia nomina? P. Omnino,

G 3

nam

nam bestia certus numerus est, & sacrificiosus; & Sabatizantes sunt, ac Hierosolymitani, & clavis Davidica. Ulterius in adyta eorum admittus non sum. F. Verum his numeris, quod extruunt? P. Papae ruinam, Ecclesiae respirationem; Bonorum liberationem, Molochi risum. F. Quis hic est? P. Qui sciam? F. Mirum ni artifex sit, P. Apparet, nam esurire videtur, & cum ventre fermocinari, ac nescio quod ingeniosi parere. Hasp. Ingratum seculum, quod filios tuos haud nutritis, nec per Artes neque labores vitae comoda substernis. Barbarum seculum, quod meras artes crepas, & meliora ingenia non aspicias. Crudele seculum, quod ineptias erigis, artifices deprimis. F. Hic homo stomachatur. P. Scilicet; quia venter latrat. Heus tu, quisquis es, respice. H. Miserum relinquitte. P. Imo habes, qui commiserant. H. Nondum scis quod sim, nam primam vobis facie sumus miserabiles, alteram ridendi. F. Quis ergo es? H. nescio, nam risum vestrum audire haud habet. P. Eloquere nam malus mihi haud videris, neque inculto ingenio. H. Ah? ingenium excoluisse scelus est. F. Quae so quis es? H. Accipe hanc chartam. F. legam.

Ephem

*Eheus quisquis es,
sivete
Architectura Secreta*

*sive
Machinarum Commoditas
delectat.*

*Sive tormentorum, Cuniculorum, Artificia,
ignis ludicra*

afficiunt,

*Sive Aqua ductuum, fontium elegantie,
Motuum diversitates,*

Hortorum ornamenta, recreant

Sive Matheſis Mechanica arridet,

*Orbis raritates, Ingeniorum fetus allu-
bescunt.*

Hominem in his diu volutatum.

aut

Benignè excipe,

aut

Liberalitate subleva

aut

Sine riſu & maledictis tuis abire ſinito.

F. Quid hoc ſibi vult? H. Id quod audivi-

ſti. F. Tūne tot tantarumq; artium pe-

ritus? H. Experire, ſuſcipe, examina.

P. Sed quid, quod nemo te recipit? H.

Quia omnes faciunt, quod tu facis? F.

G 4

Nun-

Nunquamne habuisti Patronum. H. Ha-
bui, sed pauci ferre possunt exquisitiorum in-
geniorum fervorem. F. Nec illa ferre possunt
Patronorum monita. P. Nec illa abstinere pos-
sunt, à nimia suarum opinum licentia. H.
Servire non possunt, nec un o loco esse affixa. P.
Acquiescere non possunt, nec ulla esse sorte con-
tenta. F. Temperare sibi non possunt, nec ferre
bona rationis praecepta. H. Generosa sunt, & fa-
cile universum Mundum despiciunt. F. Ambi-
tiosa sunt, & vanis laudibus saturantur. P. Te-
meraria sunt, & frequenti sortis commutatione
in miserias se precipitant. H. Nonne dixi
vobis, si quid nolletis dare, cum bona pa-
ce me ut dimitteretis? P. Equidem dubito,
an amanda plus sint, an deploranda,
vestra ingenia, qui optimum q̄ Mundus
habet, possidetis; nec ejus ullum fructum
veriore possidetis. Nam divitum est,
quicquid Ars vestra gignit, nec vobis ali-
quid præter laborem & nudam glorio-
lam, reliquum quid interest. Vos num-
mulos arte emitis, illi nummulis artes em-
unt; h. Esne literatus? P. Fortassis. H.
Applica tibi & tuis, & dixisti optimè. F.
Audi, ne quid putes te in litus naufragio
tuo ejectum, ubi hominum vestigia non
repe-

repereris, age in has ædes te confer pro-
ximas, artium ferè templum, aut hospiti-
um: iis si excludaris, ad me redito. H.
Vox hominis. P. Sed ibi instructū oportet
accedere insolitis artibus. H. Satis est.
P. Si quæ habes de motu perenni, aut vo-
landi mediis, primâ adfero. H. Benè mo-
nes, benè sit vobis. F. Sis fortunatus, nam
id unum tibi deest. P. Quid nos agimus?
F. Libet mecum cænare. P. Utinam hûc
nobis Deus morem restituat, quo olim
amici inter se jucundissimè vixerunt,
non sumtuosissimè. F. Nihil est, quod a-
pud me metuas. Nam quod tu à ratione
petis, id apud me impetrabis ab inopia.
P. Eamus, si ex animo loqueris.

SCENA V.

Harlequin.

ST, st, tacete Messieurs. Turbonis mei
felicitas in fumum abiit, omnis tinctus
ra, jactatio, spes, propositum, gaudium,
pecunia in fumum abiit. Sed obsecro vos
ne rideatis, jam ille vitra confringit, &
furnos diruit, & libros discerpit, & ho-
minum aspectum fugit. Verùm ne quis
rideat, ita fors nostra est. Nemo è vobis

G s est,

est, quem nunq̃ nimium matura compus-
ratio fefellerit. Vah illa 20000. fl. structu-
ra jam perit, & frustra sunt, tot ingenio-
sæ Iconographiæ, ille Beger noster, heu
bonus Beger, jam pendet. Sed unà cum
ipso nobis ter mille floreni; nostraq; san-
cta credulitas, nosterq; infamis pudor,
nostraq; sera pænitentia, & fabulæ hu-
manæ subjectū, ea nunc pendent. Phui!
enubescō. posthac me videbitis nunquā.
Adhuc unum, si Turboni superessent
nummi, tolerarem fortassis hanc igno-
miniā. Nunc valetē. Illud superest, quo-
niam amicus vobis singulis fui, ut exul-
tanti mihi benefaciatis. Valetē. Profectō
invicis à vobis abstrahor. Nam videmini
mihi satisfacere, adieu. Nonne si fortē
cōtingat me alibi malè audire, vos testes
eritis meæ innocentia? Salutem pluri-
mam. Deus sit comes itineris. Heu mihi!
quā durus sum, qui lacrymas elicere nō
possum, in ornamentū meæ valedictio-
nis; hem nemōne viaticum addit? Heu
patria! heu laborum meorum locus!
*Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
dulce meum.*-----

Recordare & hunc abitum meum veris
gemi-

gemitibus prosequere. Valetē, quid fle-
tis?

*Desine migrantem lugere viator & hospes,
Non careo Patriâ, me caret illa magis.*

Valetē iterū atq; iterum, tertium, quar-
tū, quintū & sextū Valetē.

ACTV QVINTI.

SCENA I.

Sapientia.

1. *Veritas.* 2. *Tranquillitas.* 3. *Acquiescentia.*
4. *Mediocritas.* 5. *Judicium.* 6. *Eruicatio.*
7. *Integritas.* 8. *Simplicitas.* 9. *Toleran-*
tia. 10. *Solitudo.* 11. *Contemplatio.*
12. *Mors.*

Sap. **C**ONuenistis sorores, Orbis lumi-
na, Felicitatis ministræ, Ver. En-
nos Sapientia omnes ita ut iussisti. Sap.
Placet, & quàm vos simul intueor lubēs!
Terrarum solatium! sine quo credo hæc
Machina dudum corruisset. Ver. Dei hæc
clementia est, quod in paucissimorum
pectoribus supersumus, & societate hu-
manam, quasi glutine etiamnum cōser-
uamus. Sap. Quòd vos convocavi foro-
res, causam accipite. Permulti sunt,
qui nos reuera ambiunt, & ingenti labo-
re con-

re conciliare fatagunt, atq; in eo nec studiis parcūt, nec sumptib. nec manu ducto rib. carent, & informatorib⁹, tandē ubi diu, diutissimē frustra desudârūt, nec exorârunt propitias, nos non secus ac Fortunā ipsam cæcas, lubricas, iniquas, & fugitivas accusant, quæ immani crudelitate amatorib. nostris non compaream⁹. An eidem vobis innotuit? Ver. Omnino Sapientia, Ita n. fodiunt homines quærēdo, ut vix locus sit, ubi effossam terram congerant. Tran. Et me homines quærūt in patinis, poculis, lectulis, libellis, ubiq; ubi non sum. Acq. Me verò in arcis, in cavernis, in titulis. Med. Mihi insidiantur, pauperes. Iud. mihi Critici, Politici. Er. Ego integros exercitus alo, q me sequūtur. Int. At ego penē spreta deliteo. Simp. Stultitiam homines appetunt, nō simplicitatē. Tol. Me extra pericula quærunt. Sol. Me homines in sylvis venant. Con. At me inter pulices, cimices, pediculos quærūt. Mors. me fugiūt homines & quærūt. Sap. Itaq; sorores vestra culpa minus fit, q nuspia id invenerint homines, q, quærere videntur, nam aut omnino non quærunt, qui supini sunt ac bestia-

bestiales: aut aliquid aliud sub vestro in-
regumento quærunt, iiq; quibus nunc
Múduſ scater, hypocritæ sunt, aut ibi vos
non quærunt, ubi estis, & pro vobis ve-
stras imagines, statua, aut larvas ample-
ctuntur. Ita q; si fieri posset, ut hos tertios
admoneremus, nóne id impetraremus,
q; utrinq; optamus, sc. jucundissimam ac
beatissimam cum hominib⁹ conversati-
onem. Ver. Nescio, mihi q; dem adeo de-
sperati videtur hominũ errores, ut ferè
ineptior reliquis appareat, qui corrigi
reliquos aut flecti posse sperat. Iud. Ine-
ptissimus, qui tentat. Nam si hodie è Mũ-
do infelicia cuncta tollas, cras suppullu-
labunt plura & infeliciora. Med. Mihi da-
tum est, quietè dare, libertatè & Satieta-
tem, q̄ vos frustra quæritis. Ver. Nequa-
quam, sed ille dabit Christus, q; de hoc u-
niverso nos exactè edocet, & peregrina-
tionis mortalis perfectum iter ostendit.
Tran. Qui nobis omnes affectuũ & tur-
bationum fluctus cõpescit. Acq. Qui no-
bis, q; appetimus bonũ sufficientissimũ
est. Med. Qui à nobis omne superfluũ, &
abũdans amovet. Iud. Qui contra omnẽ
Mundi opinionem sentit, p̄cipit, judicat.
Erud. Cujus scientia sumã est, Int. Et ipsa

bonitas est. Simp. Et Agnus immaculatus.
Tol. ovifq; silens. Sol. Qui inter terrarum
strepitus nō exauditur. Cont. Et res no-
stras omnes præsentes intuetur. Mors. Et
Mortis mors est. Sap. Ah! q fit, ut ab ullo
alio, vel ullibi aliàs, aut sciēdi perfectio-
nem, aut agendi excellētiam, aut vivēdi
regulas quærant? Ver. Cur extra verbum
Dei? Tr. Cur extra animæ quietem? Acq.
Cur extra volūtatis divinæ cum humanâ
consensum? Med. Cur extra donorū spi-
ritus modū? Iud. Cur extra Christiani smi-
retionē? Erud. Cur extra crucis discipli-
nam? Int. Cur extra Charitatis conversa-
tionē? Simp. Cur extra doctam ignoran-
tiam? Tol. Cur extra asperam semitam?
Soli. Cur extra animæ despōsatæ silenti-
um? Con. Cur extra Solis plustrātis radi-
os? Mors. Cur extra meū conductū? Sap.
Sic est meæ sorores, quoniã extra Christi
centrum divagātur mortales, nō reperi-
unt, ubi cōquiescant, aut acquiescāt, sed
torquētur iis ipsis, quæ eis in solatium da-
ta sunt, Politia scilicet, artibus, jucūdi-
tate, victu, amictu, & cūctis hominis orna-
mentis simul ac instrumentis. Verūm cū
pauci nobis servant, & discussa nebula-
rum

rum densitate penetrēnt, áne horū etiá
curam abiiciemus? Ver. Nequaquā: sed in-
formādi boni sunt. Trāq. Et sedādi. Acq.
Et satiandi. Med. Et moderandi. Jud. Et
acuendi. Eru. Et erudiendi. Int. Et lau-
dandi. Simp. Et cohibendi. Tol. Et con-
solandi. Sol. Et abstrahendi. Con. Et su-
stollendi. Mors. Et malis omnibus eripi-
endi. Sap. Itaq; propter eos vos cōvoca-
vi, ut mecū contemplaremini terras, si-
cubi haberemus, qui vincula excutere, &
de libertate solidā cogitare ausing, quiq;
nostrā conversatione uti velint, iis a des-
semus, & cum malorum risu ac fremitti,
eriperemus. Sistite nobis in mediū Glo-
būm. Contemp. Reposui. Sap. *Vah stulto-
rum plena omnia! Ver. Et erroribus referta
cuncta!* Tranq. Passim turbæ! Acq. Et
ubiq; appetitus! Med. Nusquam mediū
Jud. ab opinione cuncta! Erud. *Vah scio-
lorum turbam!* Int. Et fraudum chaos!
Simp. Ubi Candor? Tol. Nemo tolerat.
Sol. Phy! formicarum discursus! Con. Et
glirium sopor. Mors. Et Mortis affectata
oblivio ubiq; Sap. Sed videtisne sorores,
q̄ nostro nomine se alii venditent. Ecce
Socratem! Ver. Hic se jactat Aristoteles.
Tran.

Tran. hic scribit Seneca. Acq. Et Dioge-
nes dolium volurat. Med. Et Plato exqui-
sité incedit. Iud. En Democritum homi-
nes ridentē! Er. En hermetem omnia ex-
cogitantem. Int. Mundus agit hīstrioniā.
Sim. Eamq; stupidam. Tol. Epicurus hic
de Phalaridis tauro differit. Soli. Et de-
speratio in sylvis oberrat. Cont. En nō-
ctua inter lumina versant. Mors. Ego ve-
rō hos omnes pudefacio, & errorē infel-
licem prima aperio. Sap. *Ea est infelicitas
Terra, ut magnis commotionib. abripiantur et-
iam boni, inscū, aut nequicquam reluctantes.*
Ver. Et verbum Domini emigrat è loco
in locum. Tran. Et affectuum æstus ex se-
culis mutantur. Acq. Jam Mundus sene-
scens & exsanguis hominib. satisfacere
non potest. Med. Et æquilibriū nullum
supereft. Iud. *Ægri oculi, malus visus.* Er.
Invalescit barbaries. Integ. *Probrum est esse
probrum.* Simp. Nuspian non larvæ. Tol.
Laudis æque ac vituperii intolerabiles
sunt homines. Soli. Et multitudini plus
credunt, quàm sibi. Cont. Relata credūt.
Mors. Et mori nunquam discere volūt,
ne unquam vivant. Nec vivere ita volūt,
ut mori ausint, sed mortem habēt ad pæ-
nas

nas lictorem, non ad æternas nuptias pa-
ranymphum Sap. Satis est, meæ sorores
postq̄ de vestra sententia mihi constar.
Nos jam Deo nostro sacra peragemus,
post mortalium miseræ prospecturæ.

CHORUS.

*Heus spes fugaces, vota q̄, inania
Mortalium! quo precipites agit
Incertus error? quid miseris labor
Jugis fatigat? Cordis ab intimo,
Quid angulo suspiria ducitis?
Mortemq̄, crebrâ morte lacescitis?
Quærendo vitam, nec reperiendo quietam.
An illa nunquam est, aut erit, aut fuit?
forsan sub umbra deside pulveris,
Aut nocte cæca, aut antro Erebi jaces
mersa in profundis, aut clepit invidia
clâm se illa vobis, aut nimium ferox
firmavit ære Cor sibi triplici,
Ut nolit vestris sese incurvare querelis.
Sed vos quietam haud queritis anxii
Vitam, ô homuli! queritis arduis
Inflata vulgi nomina plausibus,
Sortisq̄, dona, & Encyclopediam
Rerum universam, quicquid & hæc jubet.
Ah vanitatis credula vanitas!
Illa queunt vobis lernam accumulare malo-
rum.*

H

Devota

Devota cassis pectora ineptius,
frustrà quod illinc queritis, illud hic
Hic illud! En gurgustiolum en casam!
En palliastrum: imò quoq; si lubet
Imam in cutem defigite ocellulos
Hic fixa Mater sede sedet Quies.

Pulsate, illas suas reseraverit obvia portas.
Ille ille Mundi Reçtor, & Arbiter
Cælestis aüræ particulam indidit
vobis ab alto: divite pectora
Æternitatis seminio beans
Maçtansq; sacra munere vos Fidei
Verboq; amoris lumina ventulat,

Hac vobis poterüt ævum impertire quietin
Quapropter inter vos modo postmodum
Equaliter si vivere vultis, &
Fraternè, & ira prælia mutue
Vitare, Sortis si patienter, &
Sufferre prompto fulmina pectore,
Simulq; vitam degere simplicem,

Nulla interceptet vestram turbella quietem.
Ergo beatum vivite seculum,
fluxi exuentes exuvias soli,
Anhela Cælo lumina patrio
Defixa habentes, mutua mutuis
Unà cremantes pectora amoribus,
Sic sic locatis cælitum in aureis
Sedibus ò sedes ostendent fata quietas!

SCENA II.

Turbo.

T. **C**ONverte Titan clare anhelantes
Equos. Emitte noctem, pereat hic
Mundo dies, quo deceptus sum, atrâ nu-
be inhorrescat polus, obstent tenebræ
hominum oculis. Nunc Deus cæcum
chaos redde. Ah, ah, ah!

Excidat illa dies ævo ne postera credant

secula-----

Hem! ne quis hominum me intueatur.
Moriar, moriar. Nam nec Solem, nec
homines, nec noctē, nec me ipsum ferre
possum, ubi, ubi sum? Turbonem, Vah
miserum Turbonem circumfero.

Omibi præteritos reddat si nunc Deus annos,
Omibi decoctum reddat si nunc Deus aurum.

Vah! Turbo post omnem infelicitatem
sibi infelix superest, nec virâ quicquam
habet infelicius; ipse sibi accusator, irri-
sor, condemnator, tortor, carnifex est.
Vah, Turbo, Turbo, Turbo!

qui bona dilapidat omnia pro lapide.

Vah sic decet, qui Cõsul sibi, Senatus, Po-
pulusq; esse voluit. Turbo literarum cõ-
temptor, Orbis discursor, Amator, Arti-
fex hic obambulat, & in visas habet Mun-
di crea-

H 2

di crea-

di creaturas. Vitam si liceat fingere arbitrio meo, eligeré pro domo specum, pro vestimento atram nubem, pro luce cecitatem, pro harmonia ululatú, pro victu aconita, pro recreatione lethargum, pro scientia stuporé, pro omni felicitate oblivioné. Vah quid fingo? En hic sum, hic sum. En ego sum Eruditorum subjectú, risus materia, increpationú scopus, miseriarum complementum. Ah, Ah! quá molesta mihi es vita! qua cum Turbone esse cogor! quám molesta mihi es lingua, quæ meâ miseriam explicas! quám molesti mihi estis oculi, qui me indignum, tam lucente machina judicatis! infelix Turbo, contra quem omnis error, omnis inquietudo, omnis labor conspirârunt, ut pessundarent unicum. Ah. Natura! quam à tuo favore impetrare non potui quietem, obtineam quæ so ab indignatione tua, interime hominé qui tibi tantoperè displicuit, quem ad Fortunæ crudellem exagitationem condemnâsti, patere meâ morte morti finem imponi, & corpusculi hujus exinanitione, iræ tuæ satisfieri. Ego peribo homo perditus, & hanc depressam animam exonerabo, pendeat in.

in aëre mea mobilitas, & cadaveris! agi-
ratio testetur de ingenio meo! Ah insons
ëgo qui quærendo peccavi, & curiositate
meâ naturam offendi, & cum te quærerë
ô Sapiëntia, stultitiam reperi, & q. nuspi-
am esses, non nisi in desperatione inveni,
prius cuncta tentavi, nec desii, donec mi-
hi pararem amplam luctus, doloris, infam-
iæ materiam, heu, heu, heu mihi! quid
inter homines agam, inter quos cum be-
nè adhuc haberem, boni reperi nihil? qd
nunc exspecto, nisi ca villa, dicteria, scom-
mata? Hic agam vitam inter beluas, &
invisam animam expellâ rigiditate. Ah
quis me cõverteret in petram, sed jam cor
meum petrâ durius est. Quis gratulabi-
tur beluis de concive? vah illas quoq; stulti-
tiam meâ scire, suspicor. Hem itâne da-
tur, si quis stare suo loco nescit, ne quod
placeat ei, reperiatur? Miser ego, & infeli-
cis curiositatis infelicissimum exemplû,
quo me vertam? Opes perierunt, Amici
perierunt, Anni perierunt, vires perie-
runt, animus periit, gaudium periit, & q
reliquos nusquam derelinquit, Spes pe-
riit, de hisce tellus. Heus natura! ego pau-
cis acquiescerem, sed paucum mihi non

H 3

per

permisisti reliquum, In jus, natura: quid
n. peccavi, ut me infra animalium omni-
um sortem condemnares? Sed compri-
mam me, ne meis ejulatibus tibi volu-
ptatem faciam, ô dura verbera, verbera,
hoc tibi duritie meâ eripiam, ne delecte-
ris, & inter plagas tuas tibi insultabo. O
dolor nihil agis! Vah cor mihi collique-
scit, & indignitatis igne corpus meum,
conflagrat. Egône is sum, quem Poëta,
Tragœdiis suis eligere potuisset? tace,
Turbo, obmutescere, & hanc loquacem a-
nimam suffoca. heu, heu mihi! quæ hæc
sunt, itâne nuspiam solus sum? Ah tene-
bræ, arbuta, umbræ, regite me.

SCENA III.

Sapientia cum Choro.

Fama. Dives, Sciens.

Honoratus, Felix, Turbo.

Sap. **P**ROclama Fama, quæ iustâ es elo-
qui. Fama. *Audite mortales, ne
quis posthac aut opes, aut scientias, aut ho-
nores, aut vitam beatam à Fortuna frustra
expectet, aut petat, sed quotquot ea ambi-
unt Boni Sapientiam convenient, quæ da-
tura est hodie singulis, quæ petierint.* Sap.
Mira-

Mirabor, si quis accedat. Fama. *Audite
mortales &c.* Sap. Nemone commoverur?
Ver. Dixine tibi Sapiētia paucissimos ef-
se, q nostri curā tāgatur? Sap. Sed illi pau-
cissimi ubi sunt; Fama. *Audite mortales &c.*
Sap. Ita nunc est. Qui sapiunt, delitescūt,
tacent, expectant. Ver. Nō puto nobis de-
futuros aliquos, jam fama quartā plagā
respicit. Fama. *Audite mortales &c.* Ver.
Ecce! Dives. Credāne ego Sapiētiā
mihi thesauros daturam? Vah splendidū
confessum! Sap. Quis tu es? Div. Ha, nōn-
ne ex sacco coniiicis? Sap. Quid tibi vis?
Div. ut hunc mihi sacco auro impleas.
Sap. Non tibi haetenus licuit satis corra-
dere? Div. Nō, nam & trans mare & sub
terra, & laborib. & supputationib. & dex-
teritate, & terrā nascentib⁹ q̄sivi, ut di-
tescerē, sed frustra. Sap. Quantum petis?
Div. Tantū quadraginta millia ducato-
rū. Sap. Et acquiesces? Div. Erravi, sexa-
ginta millia. Sap. Sed tum acquiesces?
Div. Obsecro te, ne succēseas mihi, liceat
centum millia petere, propter p̄fectio-
nem numeri. Sap. Concede ad scamnum
illud. Acq. Aperi sacco, & accipe Acq̄-
scentiam; Med. Et adjuuge Mediocrita-

tem. Simp. Et ad iice Simpliciter. Sap.
Ita ditissimus eris. Div. Sumne ego stultior,
an vos? quid hoc est? vah impostura!
malè vobis sit! mihi domū properādum
est, ne qd intereā fures abstulerint. Ver.
vides ingenia hominum? sed euge inflatum,
turgidulum, nitidulum, comtulū!
Sci. Profe&ò hīc Parnassus est, nisi q, Pegasum
nō intueor. Sed quo genere exordiar,
didascalice, an demonstrativo? certè
grandi. Sap. Quid tu tecum murras,
amice? Sci. Si quid est in me ingenii,
q, scio, q̄ sit exiguum, ut dicendi facultatis,
q̄ sterilem agnosco, meritò ad te defero,
incluta Regina, ut cū de studiis meis,
profe&tib⁹ & literariis tentaminibus, sola
cogoveris, indicaverisq; ego qd addere
mihi, quā viā favorem tuum mihi promereri.
Sap. Abrumpe mi homo, qd petis? Sc.
Sine me Regina pervenire, si placet,
quò volo? & audies singula. Sap. Quid
in manu geris? Sci. Vah jam explicaturus
eram. Sap. Nōne per infundibulū hoc,
vis tibi infundi Artes, scientias? Sc. Nō
benè accepisti, pace tuā dixerim, hoc
meum attuli infundibulum, ut cum tuo
conferrem. Sap. Ita fiet, secede ad illud

Iud scamnum. Iud. Itaq; infundo tibi iudicii decem mensuras. Erud. Et solidæ Eruditionis viginti. Cont. Et exactæ contemplationis triginta. Sap. Addire Helleborum. Sci. Sumne ego stultus? cui sic illudatis. Sap. Benè dixisti. Sci. Malè peream, & Musas omnes habeã iratas, nisi me iusto libro satyrico ulciscar. Sap. Abi Satyre. Sci. Vah ad Scientias ibam, & librorum strues, hic mera infania est. Sap. Abi hem monstrum? Hon. Quid faciam, mihi ne detrahendus pileus est? Mulieres sunt, nescio, quo fato huc venerim, metuo risum. Sap. Quis tu es? Unde venis? qd vis? eloquere. Hon. Aliter vocatus sum. Sap. Quid petis? Hono. Me-----

tollere humo, & sublimè virũ volitare p ora.

Sap. Cui bono? Hon. Valet. Sap. Expecta: jam dabitur tibi, q̃ intractabilis es? Tran. Accipe ornamentũ tuum Trãquil-
litatem. Tol. Et infide asino tolerantia.
Soli. Et tege te solitudine. Ho. Scelestissima meretriculæ! Sap. Mors, Mor: Hem tibi scelus! Hon. Væ mihi! Sap. magno onere liberatæ sumus, sed qd hic cunctabundus vult & suspirans? Fel. Ah! utinam tãdem via cõtingat, qua felix sim! haete-

H 5 nus

nus omnes sefellert. Sap. Quid desideras, mi homo? Fel. Ah Sapiencia, jam dudum est, q. felicitatē quæro, hâc, illâc, intus, foris: suprâ, infrâ; nuspiâ est, succurre q̄so, nam felicitatē quærendo, ppetuûm infelix sum. Sap. Anne quæsiuisti in veritate? Fel. Nondum. Mors. Sed apud me? Fel. Phy! Deus me seruet. Sap. Equidem præter has tibi felicitatem nullam dabo. Fel. Nullam? Mors. Nullam unquam. Fel. Ego abeo, nam frustra quæsiui. Sap. *Sic est, Ubi bona hominum reposita sunt, ibi quærere nolunt: alibi omnes terras perfodiunt, omnia maria transcurreunt.* Ver. Nemone restat? Sap. Nemo. Ve. Hem! quis hic proreperit? Sap. Ah miserum spectaculum! Turb. Heu mihi! Sap. Quis tu es? Turb. Heu mihi! Sap. Quid vis tibi? Turb. Heu mihi! Mors. Hunc ego hominem, absolvam. Turb. Obscuro te Sapiencia. Sap. Quis est? Turb. Ego Turbo sū. Sap. Hec tunc Turbo es? T. Heu mihi? Sap. Cur huc venisti? Turb. Omnia habes Turbo sum. Sap. Tūc ille fortunatus, volūtatē tuæ arbiter? Omnium vitæ generum explorator? Naturæ examinador? Turb. Cū ceta fui, conducit nihil. Sap. Quin alia ad huc

huc tibi supersunt, ea tentes. Turb. Heu,
heu mihi! Sap. Surge mi fili, surge: nam
satis mihi notus es: venisti tandem, quod vos
lucisti, sed via indirecta. Erigite eum. Ver.
Libenter. Surge Turbo, non deiciaris am-
plius. Turb. *Qui jacet in terra, non habet,
unde cadat.* Sap. Erigite eum, cum homi-
nibus nobis res est, non canibus. Quid do-
les, Turbo? quid accidit tibi? Turb. Ah
Ego ab omni aetate te quaesivi, nec reperi.
Sap. Ubi quaesivisti? Turb. Vah molestus
Catalogus est; in Literis, Experientia, fa-
ma, Artibus, Corporis formatione, Lin-
guis, Amore, Odio, Gaudio, Tristitia,
Conversazione, Solitudine, & Naturae
cunctis Angulis. Sap. Male quaesivisti
Nunquamne intra te investigasti. Tur. Ah
quid Turbo intra se habeat solidi? Mare
vanitatum Turbo est. Sap. Cogita, non in-
tra te illas enatas esse, sed violenter intru-
sas, per sensuum januas. Sed anne apud
Deum me quaesivisti? Turb. Scio sapien-
tissimum Deum, at ego terrenam Sapien-
tiam affectabam. Sap. *Profecto quicumque
extra Deum ullum bonum querunt, nun-
quam non malum inveniunt.* Verum,
nonne mirabile est nobis de omni eo,
quod

quod homini Christiano cum Deo inter-
cedit, satis constare, nec tamen velle ab
eo scopum ac vitę regulam accipere, sed
plerosq; gaudere, si veluti oblivisci pos-
sint Dei, & humano vivere more aulint,
q̄ multi optant Deum non omnipoten-
tem, non omniscium, nō omnipræsente.
Turb. Exhorresco. Sap. Itaq; nō lugebis,
nuspiam te in Mundo quietem, volupta-
tem, aut solidi qd boni reperisse, omnia
infausta, vana, ridicula, incerta, fallacia
fucata, turbida habuisse. Sed lugebis, to-
ties præterisse Sapientiam, quæ astitit,
provocavit. Turb. Méne? Sap. Te equidē.
Nam quoties usq; impegisti, tum te ego
revocavi, quoties de Deo bona cogitatio
succurrit, Ego astiti, quoties Mundū risi-
sti, ego suggessi. Turb. Itáne invisibilis es?
Sap. Et invisibilis, & tolerans, & silens, &
pauper, & si ita placet, agrestis, ac ridicu-
la: tu verò plurimùm errasti, cū me in-
ter sciolos, aut pomposos, aut gesticula-
tores, aut turbidos, aut streperos, aut nu-
gatores quæreres. Turb. Ah Sapientia!
de his nunq̄ admonitus sum, sed judica-
vi mihi Mundum explorādum, & pene-
trandum, perfodiendum & discurren-
dum,

dum, usq; dum reperirem quietis, scientiæ, excellentiæ sublimem locum sc. sciendum aliquid erat. Mors. *Satis scit qui scit mori.* Med. *Satis scit, qui scit modum.* Con. *Satis scit, qui scit Mundum.* Sol. *Satis scit, qui se scit.* Ver. *Satis scit, qui Deum scit.* Turb. Sed habere aliquid necesse est. Iud. *Rationem habere, abundè est.* Ver. *Deum habere abundè est.* Turb. Sed posse aliquid jucundū est. M. *Posse more sufficiat.* Turb. Sed quis illa, sciet, nonne etiam notus sim? Mors. Mihi notus eris, cōfide. Inte. Bonis notus eris, confide. Iud. Tibi notus eris, cōfide. Ver. Deo notus eris, confide. Tur. Vah, quam longè alia hæc sunt, q̄ alibi audio. Nunc ego nec paupertatem timeo, nec infamiam, nec ignorantiam. Sap. Jam resipis. Tur. Et mecum acquiescam. Sap. Benè Turb. Et vanitates ridebo. Sap. Ita. Turb. Et filebo, tolerabo, vitabo. Sap. Optimè. Turb. Et mihi ipsi acutus inspector, censor, iudex, herus ero. Sap. Euge mi fili! Turb. Quoquo me jam verto, omnia placent, omnia serena sunt, tuta, composita. Sap. Nempe quia expulisti turbatores tuos. Turb. Non ego posthac Turbo vocabor, sed Serenus. Sap. Ne properes fili, super-

superfunt tibi insidie, à Sathana, Mundo,
Carne, quas nunquam ita devinces, ne
non vulnereris. Turb. Itaq; ad Christum
me conferam. Sap. Sapis. Ver. Is tibi ex-
plicabit, quàm expediat tibi sub hâc car-
nali sarcinâ non nimium sapere. Tran.
Idem tibi aperiet, quàm tibi conducât,
nô nimium quiescere. Acq. Et quàm tibi
profit, non semper consolatione ac do-
nis abûdare. Med. Et quàm conferat tibi
cum Mundi fluctibus cõflictari. Jud. Quâ
utile sit tibi, de rebus divinis iudicium su-
spendere. Eru. Quàm fructuosum, pluri-
mum ignorare. Inte. Quam tuâ referat;
Adami tectam malitiam, & simulatam;
bonitatem agnoscere. Simp. Quàm com-
modum tibi sit, hominibus stultum vide-
ri. Tol. Quàm tuâ intersit, cruce carnis
pigrítiam excitare, luxuriam cohibere.
So. Quo tu bono te intra arcam includas.
Cont. Quâ tuâ felicitate in Dei actionem,
comœdiam, magnalia, sis intectus. Mors.
Quâ tuâ necessitate tandem hanc mise-
ram, imperfectamq; vitam finias. Turb.
Creator Deus, Benefactor Christe, Illu-
minator Spiritus, quas tibi grates referâ,
qui, quæ abscondita hâc tenus, & abstru-
tissima

fissima credidi bona, in Cor hoc meum
feminasti, & jam aperire se, excrescere,
& fructum ferre voluisti. Accipe hoc ip-
sum cor, quod tibi humiliter offero, &
posthac in te discere, possidere, saturari,
conquiescere æternum sine. Sap. Amen.
Chorus. Amen. Sap. Ingrediamur ut
posthac nobiscum vivas. Salve redivive.
Chor. Salve plurimum & sempiternum.
Turb. O gaudium! vos spectatores vale-
te, & si quis meo exemplo animo inquietus,
mente turbidus, appetitibus indomi-
tus, ingenio vagabundus est, iudicio
delirus inter vos est, meo exemplo, ad se,
& ad has, & ad hanc, & ad illum supre-
mum nostrum redeat. Interea si meæ di-
splicuerunt turbæ, placuit conver-
sio. Benigno signo plausum
edite.

DEO GLORIA.

